





1
6
60









PATRONYMICA GRAECA, ET LATINA,

EX VTRIVSQVE LINGVAE SCRIPTORIbus summo studio excerpta.

QVIBVS MVLTA ACCESSERVNT; vel à Recentioribus, vel ab ipso auctore, iuxta regulas, atq; licentias efficta.

A P. PLACIDO SPATHAFORA
Panormitano Soc. Iesu Sacerdote.





Ex Cub. Mag. Prim. Clas. Exam.

PANORMI:
Ex typographia Augustini Bossij. MDCLXVIII.
Superiorum Permissu.

FAVSTISSIMAE,

MVNDI LVCIS AVRORAE,

ARGENTEO DIVINAE SAPIENTIAE

Thalamo; Virginique, patrimæ Sobolis,
Procreatrici termaximæ.

QVA baſi quondam, ac fulcimento Chriſtianæ rei conſtructio niti, & humanæ ſtirpis excidium cœpit aſſurgere; eâdem ipſe poëſeos propè labantis molem ſuffulciri exoptarem; ò firmiſſimum orbis terrarum Columen, illibatique conceptus Princeps, candidiſſime Virginum, ac Cælitum Floſcule, MARIA. Electrinus amoris fulgor, quo tua primo ab illapſu animula gemmaſcere maturè calluit; non feſtucarum, palearumque ſegmina ex areis, glebiſue attrahere; ſed aureum Electorum Frumentum piſtoriam in aluum ingerere ſuauiſſimè valuit. Cuius ne dum excelſæ mentis generoſa demiſſio; ſed Nominis etiam ipſius, ad ancillandum vſque ruentis, declinatio, magnetica profectò vi, ſupernis ab ſedibus Verbum elicit, & carni conciliat coniugatum. Cuius poſtremò lacteus animi, corporiſque candor vbique floridus, perennitati coæuũ tempori diu ſeruiens, & ſcenicis temporum vicibus obnoxium, magica veriùs quàm arte, dedit. Quo factum, vt primæui hominis caſum nouus Homo reparaturus, in bello caderet internecino, dum in arborem tollitur fatalem. ex humo tamen, non tam parente,

quàm

quàm tumulante; Antæo fortior, immortalis existeret: tibi verò palmatum stemma, adamantinis concinnè stellulis intersitum, ad verticis aurei coronamentum imponeret sempiternum. Tuis igitur auspicatissimis vitæ vtriusque primordijs meum hoc qualecunque mentis opusculum, operosa magis oculorum, calamorumque acie; quàm ingenij stylo elaboratum, vouere statui. quã enim è bracteatis Principum titulis, insigniumque fulgoribus infœcundis gratiam aucupari nequaquam licuit; ex vberrimis intaminati conceptus tui aurifodinis abundè mihi hauriendam spes ampla elucet. Nec est, quod fœtui tametsi cordo; adhuc tamen tenello, infantiliq; aut amentatas vnquam strabonum hastas, aut virulenta crabronum spicula metuam. ille siquidem Dauidiacæ istius Arcis, millenis vndique clypeis communitæ, vallatus vmbra; longè melius, quàm scuto incubans auito Heracliscus, irritos æmulatorum ictus eludet; & anguium dentes Iunoniorum, Theone quouis, vel Zoilo atrociores, citra pulueris, confido, iactum, tanto fultus Præsidio retundet.



AD

AD LECTOREM



LERAQVE hîc offendes, Lector ingenue, nomina virorum propria, ac fœminarum. plura gentiũ, seu gentilia, ac patria. plurima verò propria regionum, insularum, vrbium, fontium, lacuum, tribuum. nec nõ possessiua quædam, denominatiua, verbalia: quæ inter patronymica recensuimus, tum quia patronymicam formam habent; tum etiam quòd ab insigni quopiam homine, vel illustri fœmina, vel nobili è loco nomen acceperint: vel denique quia eruditionem aliquam scitu dignam contineant. Syllabas item accẽtibus notandas curauimus, vt sine lapsu proferri à quouis vel indocto facili negotio possent. caue tamen ne longam existimes syllabam ante penultimam, quòd acuto signatam videas. eius enim solum est munus, pronunciandi tonum indicare, non syllabam alioqui breuem producere. Quòd si bina interdũ patronymica nomina vni, eidemque homini tributa videas, quasi geminũ quis parentem habuerit; ne statim culpam in memet conferas, quæ in fabulatores conijcienda potius esset: nil enim sibi poëtæ plerunque constant in fabellis huiusmodi consuendis. Non nulla demum in indice patronymica legeris, quæ tamẽ in eorum catalogo haud inuenias: vel enim calamo inter scribendum exciderant: vel oculum legentis in auctorum poëmatis euoluendis effugerant. Cæterum si quid emendatum iri censeas, æquo patiar animo, & gratiam insuper habebo. Vale.

IGNA-

IGNATIVS MONCADA
Præpositus Prouincialis
Soc. IESV in Sicilia.

CVM librum, cuius titulus est: *Patronymica Græca, & Latina à P. Placido Spathafora nostræ Societatis Sacerdote compositum, tres eiusdem Soc. Sacerdotes, quibus commissum fuit, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultate nobis à P. Io: Paulo Oliua Vic. Generali communicata, concedimus vt typis mandetur; si ita ijs, ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Panormi, die 20. Ianuarij. 1663.*

Ignatius Moncada

Locus + sigilli

Impr.
Abbas Femia V. G.

Impr.
Daynotto F. P.

DE PATRONYMICIS GRÆCORVM
Ex Vrbani Bellunensis Grammatica.

PAtronymici masculini tres quidem sunt terminationes, videlicet in δης communiter, vt χρονίδης, δου: in ων Ionicè, vt χρονίων, ίωνος; πηλείων, à πηλείδης; ἀτρείων, ab ἀτρείδης. in άδιος Æolicè, vt ὑρράδιος, ίου; id est Pittacus Hyrrhæ filius.

OBSERVATIONES.

Horum penultimæ terminationes quatuor esse solent, videlicet vocales duæ, α, ι: vt ἱπποτάδης, πελοπίδης: diphthongi verò totidem ει, & οι, per synæresin: vt πηλείδης pro πηλεΐδης; πανθοίδης pro πανθοΐδης.

Syncopen aliquando duarum syllabarum patiuntur, vt δευκαλίδης pro δευκαλιωνίδης, Idoméneus Deucaliónis filius: ὑπερίδης pro ὑπεριονίδης, sol Hyperionis filius: ὑπερίων, ίονος, pro ὑπεριονίων Ionicè. Epéctasin itẽ admittunt duarum syllabarum, vt ἰαπετιονίδης pro ἰαπετίδης, cuius primitiuum est ἰαπετὸς, vnde ἰαπετίδης: Ionicè ἰαπετίων, τοῦ ἰαπετίωνος, & per systolen ἰαπετίονος: à quo genitiuo aliud rursus patronymicum formatur ἰαπετιονίδης, Prométheus filius Iápeti apud Hesiodum, & Apolloniũ.

FORMATIONES.

Patronymicum masculinum fit à genitiuo singulari in ου, vel ος, siue ως, siue ευς definente, extremâ in ίδης conuersa; vt πρίαμος, πριάμου, πριαμίδης; ὅμηρος, ὁμήρου, ὁμηρίδης: μέμνων, μέμνονος, μεμνονίδης: πηλεὺς, πηλέως, πηλεΐδης, & per crasin πηλείδης: δημοσθένης, δημοσθένους, δημοσθενίδης. Cæterum in πηλεὺς, & reliquis in εὺς, genitiuus Ionicus est ῆος, vt πηλῆος: à quo itidem formatur patronymicum πηληΐδης, & epenthesi τοῦ α, poëtis in patronymicis familiari, ὁ πηληϊάδης, τοῦ πηληϊάδου, & Ionicè πηληϊάδεω apud Homêrum primo versu Iliados. Quod si ι habuerint in penultima genitiui, fit patronymicum in άδης: vt ἥλιος, ἡλίου, ἡλιάδης. Præterea si primæ fuerint declinationis, omnino in άδης exit patronymicum: vt βορέας, βορέου, βορεάδης; ἱππότης, ἱππότου, ἱπποτάδης.

Patronymici quoque fœminini tres sunt terminationes, ας, ις, & νη. quæ in ας, & in ις desinunt, à patronymicis masculinis fiunt, subtracta δη extremæ syllabæ: vt βορεάδης, βορεὰς; νεστορίδης, νεστορὶς; καδμίδης, καδμὶς: & poëticè inserto η (vt sæpè aliàs fit) καδμηΐς.

Quæ verò in νη desinunt, si à primitiuis fiant habentibus ι in penultima, ante νη habent ω: vt ἰκάριος, ἰκαρίου, ἰκαριώνη; ἀκρίσιος, ἀκρισίου, ἀκρισιώνη. quòd si non habuerint prædictum ι, formant patronymicum in ίνη, penultima producta in carmine: vt ἄδραστος, ἀδράστου, ἀδραστίνη; ὠκεανὸς, ὠκεανοῦ, ὠκεανίνη.

Patronymica quidem masculina primæ sunt declinationis: fœminina autem, quintæ: terminata verò in νη, secundæ. Quibus addo, masculina omnia in Des, quæ solum iota in penultima retinent, breuiari apud Græcos, & Latinos, exceptis paucissimis; vti Deucalionídes.

DE

IV

PATRONYMICA, quæ vim habent Antonomásiæ, poëtarũ propria sunt; semel, aut iterum à Cicerone vsurpata: sæpius tamen à Græcis historicis. ita verò appellantur, quòd à patrum nominibus formentur. quãquàm & ab auis, proauis, abauis, atauis, tritauis, alijsque maioribus non rarò deducuntur: & significant filium, aut filiam; nepotem, aut neptem, aut aliquem ex posteris. Homerus tamen non à quibuslibet auis deduxit; sed ab ijs tantùm, qui à Ioue originem traxerunt: vt Æacides, Achilles Aéaci nepos; Dardanides, Priamus Dardani posterus. Aéacus enim, & Dardanus ex Ioue nati sunt. Abusiuè fiunt, ait Vergerius Grammaticus, ab auis maternis: vt Atlantiades, idest Mercurius filius Maiæ, Atlantis filiæ. A matribus, vt Latoides, hoc est Apollo, Latónæ filius; Iliades, Romulus Iliæ filius. (quod tamẽ ab Homero vsurpatũ fuisse nunquã, nisi semel forsan obseruant) A fratribus, vt Phaëthontiades, hoc est sorores Phaëthontis: Phorónis, Iö Phorónei soror. A filijs, vt Meleâgris, Althæa Meleâgri mater. A maritis, vt Meneláis, Hêlena vxor Menelai. A patruis, vt Epimethídes, Deucálion, cuius patruus fuit Epimétheus. A Dijs, vt Phœbas, Sibylla Phœbi Sacerdos. A Regibus, vt Dardanidæ, Troiani à Dárdano: Cecropidæ, Athenienses à Cécrope: Romulidę, Romani à Romulo. A Regionibus denique, Vrbibus, Montibus, Fontibus, Fluuijs, alijsque rebus. sed ea nomina formam quidem habent patronymicam, re autem vera gentilia sunt; aut pro possessiuis, adiectiuisque nominibus ponuntur. quorum exempla habes apud Emmanuelem Aluarum lib.3. cap. 13. Hæc autem ferè à Græcis nominibus oriuntur: possumus tamen (ait Ioannes Despauterius) à Latinis etiam patronymica formare, vt docemur cum ex Virgilio, tum ex Ouidio.

Eorum terminatio quadruplex est, in Des, As, Is, Ne. & quidem in Des terminata masculina sunt, & primæ declinationis, seu tertiæ: sed hoc rarissimè, & numero tantùm singulari. reliqua tria sunt fœminina: & quidem duo in As, & Is, quintæ declinationis apud Græcos, tertiæ apud Latinos. vltima in Ne, secundæ apud Græcos, primæ apud Latinos.

ANIMADVERSIONES.

Exploratum primò cuique volo, nusquam me apud Grecos auctores legisse patronymicum masculinum, præterquàm primæ declinationis. quod etiam apud Latinos probatos obseruare cuiuis est (nullum enim videntur hîc habere locum interpretes quidam Grammatici, apud quos passim offendas huiusmodi nomina per tertiam declinationem inflexa) solus tamẽ Seneca in Troadibus act.1. sc.1. vers. 46. scripsit, Æacidis armis. in quem locum Iosephus Scaliger, Æacidis, inquit, non Æacidæ scripsit Seneca: est enim metaplasmus latinus. sic Euripidis, Euclídis, Orestis, Æacidis dicitur, pro Euripidæ, Euclidæ, Orestæ, Æacidæ. hæc ille.

Secundò hęc patronymica interdum per terminationem A, Latinorum more declinantur, sicuti Poëta, Scytha &c. cuius vltima nominatiui,

& vocatiui tunc breuis eſt. ita Propert. lib. 2. Eleg. 11. verſ. 1.

Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho eſt.

Et Horat. lib. 2. ſatyr. 3.

Nequis humaſſe velit Aiacem, Atrida, vetas cur?

Et idem lib. 2. ſat. 1.

Scipiadam vt ſapiens Lucilius, &c.

Scipiada, ideſt Scipio, inquit Lambinus in indice Horatiano. Veteres enim, vti Quintil. lib. 1. cap. 5. ab Emmanuele noſtro laudatus docet, Ænea, Anchiſa, dicebant recto caſu, pro Æneas, Anchiſes. ita Virg. Æn. 3.

Coniugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo.

Vbi Emmanuel contra Seruium in hunc locum, & contra Lambinum in tertiam Horatij ſatyram contendit, breuem eſſe vltimam ſyllabam in uoce Anchiſa; produci tamen à Virgilio cęſurę beneficio. cui fauet Gualterius in Horatij ſatyras. itaque ad hunc modum Pelída, ę, Tydida, ę, Atlantiada, ę, &c. vltima breui in recto caſu efferri poſſent. non negarim tamen, vocatiuum in A ex patronymicis in Des poſſe interdum produci; & tunc dicetur vocatiuus Doricus. Dores enim vertunt η in α longum. ita Angelus Politianus pro Eueríde, Euerída, ſcripſit in illo pentametro:

O Euerida, quod maneat pretium?

Quin & nominatiuum in Das longum, Doricorum ritu, edere nonnullis placet pro Des; vt Eueridas pro Euerides, quos non facilè quidem imitarer. nunquàm tamen in As breue deſinere poſſunt patronymica maſculina cum incremento in Adis. eſt enim error manifeſtus, in quem lapſus videtur eſſe Varrianus: cuius eſt Ieſſias pro Ieſſiades, ideſt Dauid. cui valdè miror nullam fuiſſe à noſtro Ricciolio inuſtam notam in ſua proſodia.

Tertio vtuntur poëtæ in patronymicis non rarò ſyncope, vt metro ſeruiant. v.g. Athemides pro Athemónides; Eétides pro Eetionídes, ideſt Eetiônis filius; Deucálides pro Deucalionídes; Icarióë pro Icarione, &c.

Quarto adhibent ſępius epentheſin ſyncopę contrariam: quod fit ſyllabę additione, addendo ſcilicet literam a, vel e, vt Peliades, & Peleïades, pro Pelides; Pélias pro Pelis; Aſopiades pro Asópides; Cepheïas pro Cephêis; Priaméis pro Priamis. Vbi aduerte ferè ſemper longum eſſe illud e; pręter quàm in voce Nereis, vbi anceps eſt: dicitur enim Néreis, & Neréis: & quidem breue, ſi à genitiuo gręco νηρέος formetur; longum ſi ab Ionico genitiuo νηρῆος. Interdum autem fit augmentum per duas ſyllabas, vt Acriſioniades, pro Acriſiades (quod formauit Ouidius ab Acriſione patron. foem.) Icariótis pro Icaris, &c. Addunt igitur, vel adimunt ſyllabam Patronymicis (inquit Erythręus in Virgilium) quò dictiones alioqui contumaces, numeris obſequantur: præſertim cum vnam breuem inter duas longas habent, quę in verſu heroico collocari non poſſunt: vt Atlantides maſc; cuius vltima longa eſt: idque etiam exemplo Gręcorum. Homerus enim πηληϊάδεω dixit Iliados initio pro πηληΐδου;

ideſt

idest Peleïades pro Pelídes: & Antimachus χρηθηϊάδαο pro χρηθηίδυ, Cretheïades pro Crethídes, seu Cretheídes.

Quinto vtuntur synæresi, & diæresi; contrahendo scilicet syllabas duas in vnam; vel vnam soluendo in duas. v. g. Ænídes pro Ænéides Ad Synæresin accedit Apócope, cum scilicet demptâ vltima syllaba, seu vocali genitiui, formant patronymicum: vt Iasî pro Iasij; & inde Iásides, & Iasis: Icarî pro Icarij; & inde Icaris: Erechthî pro Eréchthei, & inde Erechthis pro Erechthéis. per Diæresin verò est Aphareïades pro Apharídes: Acheloïas pro Acheloias: Naïas trisyll, pro Naias dissyll. quod etiã fit soluta diphthongo αι, vel ει, vt Pirâides à voce πειραῖος Thébais, à voce θῆβαι: Ptolemáis à voce πτολεμαῖος: Cepheïdes pro Cephídes. nonnunquam non modò soluitur diphthongus; sed etiam excluditur vocalis vna ex his duabus, & corripitur syllaba: vt Adrásteis apud Pindarum pro Adrastéis: ἀδράσειος enim, vnde formatur, soluit primò ει, deinde reijcit ipsum iota. quod etiam euenit in Αἰνειάδης, pro Αἰνεάδης, vnde Æneades secunda breui.

Sexto utuntur ectasi, & systole; producendo syllabam alioqui breuem, vel naturâ longam corripiendo, vt Priamides, Danaides, quorum prima alioqui breuis producitur; Ætolides, & Æthonides, quorum secunda alioqui longa corripitur.

Septimo (quod Pindari Scholiastes docet in oden 6. Pythior. stroph. 1.) poëtica paréctasis, seu syllabarum extensio; & solitæ formationes in patronymicis proprijs (hoc est in nominibus proprijs, quæ patronymicam terminationem habent) fieri nequaquam debent; si ab ipsis patronymicum formandum sit: sed ipsum met patris nomen integrum quidem, & immutatum, vti sonabat, quasi patronymicum significabit etiam filium. v. g. Heraclídes, & Asclepiades, formam certè patronymicam habent: sunt autem & nomina propria quorundam hominum. itaque si quis Heraclídis, seu Asclepiadis filium patronymicè vellet significare; eodem vtique nomine Heracliden, seu Asclepiaden appellare illum deberet. ea de causa Simíchides dicitur Theocritus, Simichidæ filius: Sicelides verò Asclepiades, Sicelidæ filius. quod etiam in fœmininis locum habet. Asclepias enim dicenda esset Asclepiadę filia, si qua foret: & Bisaltis dicitur Theóphane, Bisaltidis filia, &c.



PATRO-

Ex Emmanuele Aluaro, & alijs.

Nomina primæ declinationis.

A finita syllabam assumunt Des: vt Ilia, Iliades. nonnunquam ipsum A mutant in I: vt Philyra, Philyrides. interdum inserunt I ante A, deinde Des: vt Atalanta, Atalantiades.

As terminata assumunt De ante S: vt Æneas, Æneades; Pheretias, Pheretiades. aliquando assumunt I ante A: vt Amyntas, Amyntiades.

E finita mutant E in I, deinde assumunt Des: vt Chíone, Chiónides. nonnunquam post I addunt Ades: vt Acrisióne, Acrisioniades: quod patronymicum finxit Ouidius ab altero patronymico.

Es finita mutant Es in Ades: vt Hippotes, Hippotades. sæpius verò admittunt I ante A: vt Anchises, Anchisiades.

Nomina secundæ declinationis.

Vs finita in genitiuo assumunt Des, penultima breui: vt Aéacus, Æaci, Æacides; Priami, Priamides; Æoli, Æolides.

Ex his nonnulla penultimam producunt: vt Belídes, Lycurgídes, Amphiaraídes; Beli, Lycurgi, & Amphiarái filius, &c. quod etiam obseruant quæcunque nomina in Clus desinunt: vt Iphiclus, cli, Iphiclídes.

Hæc autem nomina interdum assumunt A ante Des: vt Battus, Batti, Battiades; Asópi, Asopiades.

Eus finita in genitiuo mutant Ei in Ides penultimâ longa; est enim diphthongus & apud Græcos: vt Péleus, Pélei, Pelídes; Thései, Thesídes; Achíllei, Achillídes.

Nonnunquam hæc nomina soluta diphthongo in Eides penultima breui terminantur: vt Achilléides, Cephéides, Neléides.

Rariùs tamen in Iades desinunt: vt Otreus, Otrei, Otriades, apud Virgilium, pro Otrídes; Oiliades pro Oilídes.

Nomina tertiæ declinationis.

Hæc nomina fiunt à datiuo addita syllaba Des, penultimâ breui; vt Agénor, Agénoris, Agénori, Agenórides; Demósthenì, Demosthénides; Mémnoni, Memnónides; & sic quęcunque incrementum Onis breue gignunt.

As finita, quorum genitiuus exit in Antis; post datiuum Anti, assumunt Ades: vt Abas, antis, anti, Abantiades; Atlanti, Atlantiades; &c. raró tamen in Ides, vt Pallantides, Atlantides, Æantides.

Es terminata si C, & L ante Es habeant, in Ides patronymicum formant, penultimâ longa: vt Pátrocles, oclis, ocli, Patroclídes; Procles, cli, Proclídes; Néocles, clis, cli, Neoclídes.

On finita, quorum genitiuus in Ontis, vel Onis penultimâ longa de-

 finit

finit, in Ades itidem plerunque patronymicum formant ex datino : vt Laómedon, ontis, onti, Laomedontiades; Telamon, ónis, óni, Telamoniades; Scipion, ónis, oni, Scipioniades; & per syncopen, Scipiades. quandoque etiam in Ides, penultimâ breui; vt Scambônides à Scâbóne; Tithónides à Tithóne.

Nonnulla interdum ex his penultimâ longa proferuntur: vt Deucalionídes, Talaonídes; ideſt Deucaliónis, & Talaónis filius.

Paradigma patronymici masculini.

Nom. sing. Romulides, vltimâ longa. Gen. dæ. Dat. dæ. Acc. den, vlt. long. Voc. de, long. Abl. de, long.

Nom. plur. Romulidæ. Gen. arum, vel per syncopen Romulidûm (ita etiam Abantiadûm pro Abantiadarum) Dat. dis, long. Acc. das long. Voc. dæ. Abl. dis, long.

PATRONYMICA FOEMIN. VNDE FORMENTVR

De Pattonymicis in As, & Is.

PAtronymica fœminina in As, & Is fiunt à masculinis reiecta syllaba De: vt Theſtiades, Theſtias; Phaëthontiades, Phaëthontias; Æolides, Æolis; Tantalides, Tantalis; Belides, Belis, Bélidis; Coronídes, Corónis, Corónidis; Latóides secundâ breui, Latóis secunda longa. Pelides vero non gignit patronymicum fœmininum, sed Peliades (vtrumque enim vsurpatur à poëtis) vnde Pêlias.

Quædam tum in As, tnm in Is exeunt: vt Æetias, & Æétis; Atlantias, & Atlantis.

Paradigma patronymici fœmin. in As.

Nom. sing. Atlantias, vltimâ breui Gen. adis, vel ados, penult. & vlt. breu. Dat. adi, vlt. breu. Acc. adem, vel ada, br. Voc. as br. Abl. ade br.

Nom. plur. ades, breu. Gen. adum. Dat. adibus. Acc. ades, & ados breu. Voc. ades, breu. Abl. adibus.

Paradig. Fœmin. in Is.

Nom. sing. Píeris, vltimâ breui. Gen. idis, vel idos, vlt. & penult. br. Dat. idi, vlt. br. Acc. idem, vel ida, vel in, vt Pierin, vltima breu. Voc. Pieri, vlt. br. vel Pieris. Abl. ide.

Nom. plur. ides, vlt. br. Gen. idum. Dat. idibus. Acc. idas, vlt. br. Voc. ides. Abl. idibus.

ANNOTATIO.

Datiuus pluralis in his patronymicis (quod etiam intellige de Ablatiuo eiusdem numeri) nonnunquam flectitur à Latinis poëtis Græca forma in asi, vel asin, vltimâ breui, atque penultima. ita Propert. lib. 1. Elegia in Gallum, cuius initium eſt: Hoc pro continuo & c. datiuos græcos vsurpat Dryasin, Hamadryasin, Thyniasin. sic enim habet:

Non minor Ausoniis eſt amor ah Dryasin.
Ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

Gra-

Grata domus nymphis humida Thyniasin.

de quibus sic Scaliger in eum locum: Dryasin &c. Datiui sunt Græca forma: vt & Minyasin Catullus dixit in epithalamio Pélei, ac Thetidis. vbi enim legitur vulgò:

Nereidum linquens claris celebranda choreis.

ex antiquis manuscriptis ita corrigendum censet idem Scaliger:

Minuasin linquens Doris celebranda choreis.

Deinde addit: Minuasin archaica scriptura, & Græca declinatio pro Minyasin. primam autem produxit Catullus non aliter, quàm poëtæ primam in Italia, Phylacides, &c.

Datiuus idem pluralis effertur à nonnullis in adis, vel idis, vltimâ breui: vt Dryadis pro Dryadibus per syncopen (sicuti fieri solet apud Latinos in neutris Græcorum nominibus desinentibus in a, vt Epigramma: cuius datiuus plural. vsitatior est Epigrammatis pro Epigrammatibus) Nereidis pro Nereidibus. & ita sepius inflexum legi apud quosdam Grammaticos, Grecorum poëtarum interpretes: vt apud Nicandri translatorem, cuius est illud:

Fertur Chesiadis pecus ostendisse puellis.

Chesiadis dixit pro Chesiadibus. in quo videtur ille Grecam poëtarum formam emulari voluisse. sic enim scripserat Nicander ipse in Alexiphármacis vers. 151.

Α μνὸς χησιάδεσσι νέον συμμηνατο νύμφαις.

De Patronymicis in Ais.

Fœminina in Ais breuem habent penultimam: vt Athánais, Phócais, Thébais, à nominibus Athénæ, Phocę (aut Phocis, idis) ac Thebe. nonnulla verò longam, vt Acháis, Ptolemáis, Meneláis, deducta à nominibus Achaia, Ptolemęus, Meneláus.

De Patronymicis in Eis.

Quę fiunt à masculinis in Ides penultimâ longa, in Eis desinunt, penultima item longa: vt Ænídes, Ænéis; Achillídes, Achilléis; Thesídes, Thesêis. nam penultima masculini erat diphthongus ει, quæ in fœmininis soluitur, & ε migrat in η. Aliquando tamen remanet ε, etiam in fœmininis; & tunc penultima breuis erit. vt Néreis & Æneis apud Ouid. 3. de Ponto:

Æneidos vati grande fuisset opus.

ni tamen fiat synęresis, & primus pes sit spondeus. Nonnulla verò desinunt in Is pro Eis, vt Belis, Corónis, Erechthis, Phorónis, à masculinis Belídes, Coronídes, Erecchthídes, Phoronídes,

Deducuntur etiam in Eis à nominibus primitiuis: vt Adrastéis, Bacchéis, Bryséis, Cadméis, Clymenéis, Cybeléis, Cytheréis, Minyéis: quorum primitiua sunt Adrastus (seu potius adiectiuum Adrastéus) Bacchus, Bryses, Cadmus, Clymene, Cybele, Cytheréa, Minyas. Vbi aduerto, ex adiectiuis interdum formari patronymica; vt Ciánis, Cytęis, Achæis; quorum origo est Cianus, Cyteus, Acheus, a, um.

De

VII

De patronymicis in Ois.

In Ois terminata penultimam producunt: vt Achelóis, Acheróis, Homolóis, Latóis, Minóis, Typhóis: ab Acheloó, Acheronte, Hómole (seu potius ab adiectiuo Homo'oius) à Latóna (veriùs à nomin. græco λητώ) à Minóë, Typhóëo. nonnunquam, sed rariùs corripiunt ò, vt Eúbois.

De Patronymicis in Itis, & Otis.

Desinunt quædam in Itis, & Otis, penultimâ semper longa: vt Oceanitis (idis) Tanaitis, Memphitis, Moabitis, Sunamitis; ab Océano, Tánai, Memphi, Moab, Sunam. Atque hęc plurimùm sunt nomina gentilia. Item Icariotis, Libanotis, Mareotis, Nilotis; ab Icario, Líbano, Maréa, Nilo.

De Patronymicis in Ine, & One.

Ne syllaba finita, Iónum sunt propria, vt ait Priscianus lib. 2. & perquàm rara. Terminata igitur Ine fiunt à genitiuo primitiuorum addita syllaba Ne, penultimâ semper longa: vt Neptuni, Neptunine; Adrasti, Adrastine. Quod si genitiuus in Ei desinat, E, & I mutatur in I longum: vt Nérei, Nerine; quanquam & Nereine reperitur apud Cálabrum poëtam. immò & vnum in Ene, græcè ννη; vt Dindyméne, quo vtitur Martialis. Nonnulla ex his fiunt à nominibus primæ declinationis, vel tertiæ, vt Æetine ab Æeta, æ; Heroine ab Heros, ôis. Et hoc vltimum syncopen admittit maximè apud Græcos: dicitur enim Heróne pro Heroine.

One terminata fiunt à nominibus, quæ in Vs purum desinunt (quæ scilicet habent vocalem ante Vs) mutato I posteriore genitiui in O lõgum, & addita syllaba Ne: vt Acrisius, sij, Acrisióne; Tyndáreus, rei, Tyndareóne. item à nominibus tertiæ declinationis, quæ incrementum habent in Onis longum: vt Eétion, ônis, Eetione; Electryon, ônis, Electryone. Huc etiam referuntur quæ à patronymicis Ionicis formantur: illa enim habent etiam incrementum, onis, longum: vt Oedipodíon, ônis, Oedipodione; Iapetíon, ônis, Iapetione. Interdum hæc patiuntur syncopen, vt Icarióë pro Icarione.

Paradigma patron. in Ine.

Nom. sing. Adrastine, vltimâ semper longa (idem dicitur de Icarione, & similibus) Gen. nes long. Dat. ne long. Acc. nen long. Voc. ne long. Abl. ne long.

Pluralis numerus in his nominibus non est in vsu, si pauca tamen excipias, in quibus eodem flectetur modo, quo Musæ, arum, &c. vt Héroinæ, arum, &c. singularis verò numerus ferè in omnibus huiusmodi nominibus edi potest etiam per A breue; vt Adrastina, æ, veluti Musa, æ; &c.

AVCTO-

AVCTORVM SYLLABVS,
vnde hæc Patronymica deprompta sunt.

Ex Græcis

Apollonius
Arâtus
Cálaber
Callímachus
Colúthus
Dionysius
Eurípides
Heródotus
Hesíodus
Homêrus
Moschus
Musæus
Nicander
Nonnus
Oppiânus
Orpheus
Pausánias
Píndarus
Sóphocles
Theócritus
Scholiastæ varij.

Ex Latinis

Ausonius
Catullus
Hoatêrus
Horatius
Iuuenalis
Iuuencus
Lucanus
Lucretius
Martialis
Olympius Nemes.
Ouidius
Propertius
Seneca Trag.
Silius
Statius
Tibullus.
Valerius Flaccus
Virgilius.

Recentiores

Auctor poesis sacræ, Parnasso attextæ.
Carolus Stephanus in dictionario.
Hieronymus Vida.
Natalis Comes.
Nomesseius in Parnasso poetico.
Ragazius in Thesauro poetico.
Rauisius Textor in Epithetario, & Offic.
Sannazarius.
Tortolettus.

Ex nostra Societate

Auctores Imaginis primi sæculi.
P. *Balde*
P. *Le Brun*
P. *Casilius*
P. *Casimirus*
P. *Millieus in Moyse viatore.*
P. *Remondus*
P. *Rogatus.*

PA-

Ăbantiades Acrisius Abantis, Argiuorum Regis, filius pater Dánaës; ex qua Iupiter Pérseum suscepit.
vel Prœtus, & Iasius eiusdem filij.
vel Pérseus Abantis nepos, & Iouis ex Danaë filius, qui Medûsam interfecit.
vel Cherînus Abantis filius, quem Satillus deperibat: sed Cherinus ense illum interfecit.
vel Chalcódon (ontis) Eubœensis, & Abantis filius.
vel Canthus Abantis, Argiuorum Regis filius, vnus ex Argonautis. Et Canéthus, item Abantis filius, fortasse Căthi frater.
vel Bellérophon (ontis) Glauci, Ephyræ Regis, filius, & alterius Abantis nepos.
vel Lyrcus Abantis filius nothus, à quo Lyrcéa vrbs est appellata, quæ antea Lyncéa dicebatur, Argis non multùm distans.
vel Laódocus, Alăus, & Aréus, siue Areius, Abantis filij ex Pero Nympha.
vel Idmon (onis) vates inter Argonautas, quem aliqui Abantis filium asserunt, sed nothum: cuius mater fuit Pherétia (alijs Astérie) verus autem pater Apollo. ab Orpheo tamen appellatur Ampycides, fortasse quia augur erat, sicuti Mopsus Ampyci filius.

Ăbantiadæ dicuntur omnes Eubœenses, ab Abante Euboico. vide Chalcodontiadæ. ita etiam dicti sunt omnes Argiuorum Reges post Abantem, duodecimum eorum Regẽ. quare & omnes Argiui sic appellari possũt.

Ăbiades (vel prima ob necessitatem producta) vates, idest Ioannes Baptista: ita dictus à patre Zacharia, qui fuit de vice Abíæ; idest de classe illa Sacerdotum, ab Aa-

róne deſcendentium, quæ octauum locum inter viginti quatuor claſſes habebat: cuius princeps erat Abía.

Aboriginidæ appellari poſſunt Latini, qui à populis Italiæ antiquiſſimis, qui Aborígines dicebantur, trahunt genus. illi enim poſt Ænéæ aduentum, Phrygibus adiuncti, Latini fuerunt appellati, & Romam condiderũt.

Abramides Isaac filius Abrahæ, ſiue Abráhámi (qui olim Abram dicebatur) ex Sara eius vxore ſimul, & ſorore, ſed ex alia matre.

vel Iſmaël eiuſdem filius, ex Agar ancilla Ægyptia.

Abramidæ Hæbræi, ab Abrámo orti, vel originẽ ducentes.

Acarnides Hérymas, ſiue Hérmias, Acarni filius. fuit hic tetrarcha in Oriente, & cũ Mémnone bellũ geſſit: à quo victus, iuuenci pelle eſt insútus, ac ſub menſa detẽtus.

Aceſtoridæ familia Argiuorum, ab Acéſtore trahens originem, & nomen.

Achæmenides Cambyſes (æ) Cyri maioris filius: vel Smerdis eius frater: vel Cyrus Cambyſæ filius ab Achaémene trahentes originem. Eſt etiam nomen proprium cuiuſdam, qui fuit Adamaſci filius, & comes Vlyſſis; ab eo in Sicilia relictus: vbi in luſtris ferarum delituit. de quo Ouidius in Ibin.

Achæmenidæ Perſæ omnes, ita dicti ab Achaémene, ditiſſimo Perſarum Rege, à quo Reges omnes deſcenderũt vſque ad Dariũ: inter quos fuit Hyſtaſpes, Arſamis, ſiue Arsámenis filius, Darij pater: & Pharnaſpes pater Caſſandánes, quæ fuit vxor Cyri, & mater Cambyſæ: & Sataſpes Theaſpis filius; & alij complures.

Achaſides (vel primâ ob neceſſitatem productâ) Ezechías Iudææ Rex, filius Achaz, ſiue Achas, vir ſingulari pietate; qui mortem à Deo lacrymis deprecatus,

annos quindecim vitæ exorauit; & valetudinis signum vmbrã, decẽ in horologio lineas regredientẽ, accepit.

Achillides) Pyrrhus Achillis, & Deidamíæ filius; qui
vel) & Neoptólemus fuit appellatus, idest mi-
Achilleides) les nouitius: nã adolescentulus tirocinium
siue) in bello Troiano posuit: tandem ab Oreste
Achilleides) occisus propter Hermíonen sponsam, illi à Pyrrho ereptam.

Achillidæ dicuntur Græci, ab Achille Græcorum fortissimo; præsertim verò Théssali: nam Thessalus fuit Achilles.

Acmonides Cælus, Deorum antiquissimus apud poëtas, cuius pater dictus est Acmon. ille verò sorore Terra in matrimonium ducta, genuit Saturnum, Atlantem, & alios: et ab eo Cælum ipsum aiunt fuisse appellatũ.
vel Pyrácmon (onis) Cyclops, Vulcáni minister, qui Cæli, Terræque erat filius, & nepos Acmonis. illum Hesiodus Argen appellat: cuius socij fuerunt Brontes, & Stéropes, ambo Cyclópes.

Acrisioniades Pérseus, Iouis ex Danaë filius, qui iam adultus Acrisium auum suum per imprudentiam interfecit: quem poëtæ fabulantur in saxum à Pérseo mutatum esse, cum illi Górgonis caput ostendisset.
vel Pharsálus Acrisij filius, à quo Pharsálos Tessáliæ vrbs est appellata.

Actorides Menœtius, vel Irus, vel Podarces (aẽ) Actoris filij.
vel Pátroclus Græcus, Menœtij filius, nepos Actoris, Achilli perfamiliaris.
vel Ctéatus, & Eúrytus (alijs Erithus) Actoris filij; vnde etiam dicuntur Actoriónes. Eurytum autem Pérseus cratéris iactu interfecit. vide Moliónides.

vel Sthénelus, qui, ex Apollonio, fuit Actoris filius, & cum Amazonibus pugnauit.

Adamides Adæ, vel Adam filius, ideſt Cain, Abel, Seth.

Adamidæ homines, ab Adam originem ducentes.

Adrimachidæ ſunt Africæ populi bellicoſiſſimi.

Aeacides Phocus, Aéaci filius, à quo Phocis regio eſt appellata.

vel Péleus Æaci ex Aegína filius, Achillis pater, Thétidis coniux.

vel Télamon (ónis) eiuſdem filius, Aiácis pater: & hi tres prædicti fratres fuêre.

vel Achilles Aeaci nepos, Pélei filius, Græcorum omnium fortiſſimus.

vel Pyrrhus Achillis filius, & Æaci prónepos. ſed tunc additur nomini proprio, velut epíthetum, vt Pyrrhus Æacides.

vel Pyrrhus Epirotarũ Rex, ab Aeaco trahens originẽ.

vel Alexander magnus, Macédonum Rex, qui maternum genus ab Epíro regione, atque adeò ab Aeacidis ducebat.

Aeacidæ dicuntur Æginenſium Reges, ab Æaco originem ducentes: qui a Græcis Aeántidæ appellantur. Aiax enim apud illos nominatur Αἴας, αντος Aeacidarum autem gens ab Hercule trahit originem, vt ait Iuſtinus hiſtoricus.

vel ipſi Æginétæ, quorũ inſulæ Æginæ Æacus nomen dedit à matre Ægina: nam prius Oenópia dicebatur.

Aeantidæ v. Aeacidæ.

Aeclídes v. Oiclídes.

Aegides Théſeus filius Aegei, Regis Athenarum ex Æthra: qui debellauit Amázones, & Centauros: occidit

Mino-

Minotaurum, secumque Ariadnam abduxit.
vel Medus Ægei ex Medéa filius, à quo Média, Asiae regio, denominata est.
Ita etiam dici potest Eurylĕon (ontis) dux Lacedæmonius, alterius Ægei filius.

Aegidæ dicuntur Athenienses ŏmnes, ab Ægĕo Athenarum Rege.

Aemonides Laérceus, Æmŏnis filius.
vel Alcímedon (ontis) Laércei filius.
vel Théssalus (vnde Thessália dicta est) Aémonis etiam filius, Deucaliónis nepos.
est etiam nomen proprium cuiusdam sacerdotis Phœbi, & Dianæ, quem Aenéas occidit.

Aemonidæ dicuntur Théssali omnes: Aemónia enim dicitur Thessalia, vel ab Æmo monte sibi propinquo, vel ab Aémone Deucaliónis filio.

Aeneades dictus est Augustus Cæsar, Iulij Cæsaris filius adoptiuus, qui genus suum ad Iulum Ascanium, Aeneæ filium, referebat.
vel Butes, Veneris adulter, pater Erўcis, Aeneæ auunculus.

Aeneadæ Troiani, qui Aeneam habuerunt ductorem, ac Regem.
vel ciues Aenéæ, vrbis in Thrácia, ab Aenea aedificatæ, quę & Aenos dicta fuit.
vel Romani, & Latini Troianorum successores. Αἰνεάδης autem corripit secundã, quia tollit iota, quod est in voce Αἰνείας.

Aeneides) (vel trisyll: per synæresin, & tunc est molosseu) sus) Iulus, siue Ilus Æneæ filius, antea dic-
Aenides) tus Ascanius, ex Creúsa, Priami, & Hécu-

bæ filia, Aeneæ coniuge. poteſt etiam Aeneides corripere ſecundam, ſi ſoluitur diphthongus æ, & reijcitur æ.

vel Siluius Aeneæ filius poſthumus, ex Lauínia vxore: a quo Albani Reges, Siluij, fuerunt appellati.

Aeneſidamides) Theron (onis) Agrigentinorum ty- vel) rannus, Æneſidámi filius: vel, vt alij ſcri- Aenesimides) bunt, Aeneſidémi.

Aeolides Misénus Aéoli filius, & tibícen.

vel Macáreus eiusdē filius, qui mutuo Cánaces, ſororis ſuæ, amore captus, puerum ex ea ſuſcepit; Apollinis tandem ſacerdos factus Delphis.

vel Salmóneus Aeoli filius, Rex Elidis à Ioue fulminatus, quia Iouis fulmina in aëre mentiebatur.

vel Crétheus, ſeu Crítheus, Deióneus, Athamas (antis) Aeoli filij, inter ſe fratres.

vel Melampus (odis) Amytháonis filius, Créthei nepos, Aeoli prónepos. Crethei etiam nepos fuit Iaſon, filius Aéſonis: Aeſon verò, & Pélias Créthei fuerunt filij.

vel Phrixus Athamantis filius, Aeoli nepos. Phryxus ab alijs ſcribitur, ſed malè.

vel Quatuor Phrixi filij ex Chalcíope Æétæ Regis filia, quos Aeólidas appellat Valerius Flaccus. eorum nomina ſunt Argus, Cytisórus, Melas (ae) Phrontis (idis).

vel Sísyphus Aeoli etiam filius, ſiue ab Aeolo oriundus: homo aſtutiſſimus, qui Atticam latrocinijs infeſtabat, à Théſeo tandem interfectus. hic apud inferos ſaxum aſſiduè prouoluere dicitur ad montis culmen, vnde ſtatim illud relabitur.

vel

vel Vlyſſes, qui creditus eſt filius Siſyphi.
vel Mínyas (ae) qui Aeolides dicitur Apollonio Rhodio; vel quia filius Aeoli, vel quia ab eo ducebat originem. hic Orchómenum, Thebis vicinam vrbem, condidit. alijs verò Chryſae, vel Alei filius dicitur.
vel Periéres, Aeoli filius Oecháliæ Rex.
vel Iphiclus eiusdem filius, auunculus Iáſonis, frater Alcímedes, quæ Iaſonem genuit.
vel Idmon (onis) vates, ab Aeolo fortaſsè ducens originem.
vel Bellérophon (ontis) ab Aeolo trahens originem.
vel Céphalus Aeoli filius, ſiue vt alij volunt Deiónei filius, & Aeoli nepos; qui Procrin vxorem cariſſimam, in ſiluis latentem, iaculo transfódit, ratus feram eſſe.

Aeolidæ item dici poſſunt ſex filij Aeoli, eius videlicet, ad quem in oberratione ſua Vlyſſem perueniſſe fabulantur. ij ſunt Aſtyochus, Xuthus, Androcles (is) Pheræmon (ónis) Iocaſtes, ſeu Iocaſtus, Agathyrnus. primus tenuit Líparam, ſecundus Leontínos, tertius, & quartus Siciliæ regiones à freto ad Lilybæum, quintus maritimas Italiæ oras vſque ad Rhegium, ſextus oppidum in Sicilia, de ſuo nomine Agathyrnum appellatum.

Aeolidæ item dicti ſunt Corinthiorum Reges poſt Siſyphum, Aeoli filium, ibi regnantem.

Aepytides Glaucus Meſſeniorum Rex, Aépyti filius.

Aepytidæ, Aepyti, Meſſeniorum Regis, poſteri; qui apud Meſſenios regnarunt: nam antea Heraclídæ dicebantur.

Aesimides Sinon (onis) Græcus verſutus, Aesímonis filius. ſic autẽ formatur per ſyncopen pro Aesimonides.

Aeſo-

Aesonides Iason (onis) filius Aesonis ex Alcimede, seu Polyméda: qui sustulit aureum vellus è templo, seu luco Martis apud Colchos, Medéæ consilium sequutus.

Aethalides (nomen proprium) fuit quidam præco, Mercurij, & Eupolemíæ, seu Phthíadis filius, qui à patre impetrauit, vt & viuus, & mortuus, omnium, quæ gererentur, memoriam haberet.

Aethalides Samius, dici solet Pythágoras, qui hunc prædictum aliquando se fuisse gloriabatur, ideoque rerum omnium habere memoriam.

Aethliades Endymion (ónis) Aethlij, & Cálices filius, a Luna adamatus, à qua dono habuit, vt perpetuò dormiret.

Aethonides fuit quidam Aethónis filius. Aethon autem hîc non intelligitur equus Solis, vel Auroræ, vel Plutónis, vel Pallantis (singuli enim eo nomine appellabantur) sed vir quidam; siue ille Romanus, qui pedendi vitio laborabat; siue alius quispiam. potest tamen secunda syllaba corripi ob necessitatem.

Aetolidæ dicuntur Appuli, siue Apuli Italiæ populi, à Dioméde Aetólo, ibi olim regnante. corripitur autem à Silio Italico secunda syllaba per figuram systolen.

Agamemnonides Orestes (is) Agamemnonis filius ex Clytemnestra, quam ipse occidit, vt adulteram; & inde furore correptus est. hic regnauit annos septuaginta, vixit nonaginta, & Hermíonen habuit vxorem, Menelái, & Hélenæ filiam.

vel Hyperíon (onis) Agamémnonis filius (non quidem ille Hyperion pater Solis) qui postremus Mégaris regnauit.

vel Halæsus eiusdem filius.

Aga-

Agamemnonidæ dicuntur Græci, præſertim verò Mycenæi, & Argiui, quibus imperauit Agamemnon.

Agarides Iſmaël Abrahæ filius ex Agar ancilla ſua Aegyptia.

Agathenorides Xenocrates, ſeu Xinocrates, philoſophus Chalcedonius, Agathénoris filius, Platónis auditor, vir continentiſsimus, qui Láidem, ſeu Phrynen, nobile ſcortum è toro ſuo remiſit re infecta, fruſtra per noctem integram ab ea tentatus.

Agathoclidæ dici poſſunt Siculi, quorum (præſertim verò Syracuſanorum) Rex fuit olim Agáthocles Thermenſis, ſeu Saccenſis, è figulo natus parente.

Agenorides Cadmus filius Agénoris, & Agriopes, ſeu Telephaſſæ, Rex Phoenícum, ac Thebarum in Boeótia conditor.

vel Cilix (icis) à quo Cilícia; & Phoenix (à quo Phoenícia denominata eſt) eiuſdem filij, & Cadmi fratres.

vel Polydórus (non ille Priami filius) Lábdacus, Crotópus, Agénoris etiam filij.

vel Thaſus (à quo Thaſij populi) qui filius Agenoris fuit.

vel Préugenes (is) Agenoris filius, & Pátrei (à quo Patras vrbs eſt appellata) pater.

vel Phíneus, qui ſecundùm pleroſque Agenoris filius fuit, ſeu nepos, ab Harpyijs olim infeſtatus.

vel Theſtius eiuſdem, vt aiunt, filius, Ledæ Cáſtorum matris, pater.

vel Rhadamanthus Agenoris nepos (fuit enim filius Iouis, & Europæ, filiæ Agenoris) inferorum iudex.

Agenoridæ Phoeníces, ita dicti ab Agénore eorum Rege.

vel Thebáni ab Agenore patre Cadmi, qui Thebas

in Boeótia condidit.

Agiadæ)sunt Lacedæmoniorum Reges, forsan ab Agia vel)Agélochi filio Tisámeni nepote vel ab Agide,

Agidæ)qui fuit vltimus Spartanorum Rex, ex familia Eurytionidarum.

Agidæ etiam dicebantur omnes ex regia Agidis familia.

Agriades Thersítes, inter Græcos deformissimus, Agrij, & Diæ filius, Aetolorum Regum ábnepos, qui heróas contumelijs afficiebat.

Aglaophontiades Polygnótus, egregius pictor apud Græcos, Aglaophontis filius, Thasius genere, idest natus in Thaso, insula maris Aegæi: quanquàm alij Mycónis filium faciunt.

Agniades Tiphys, Agniæ filius, gubernator nauis Argonautarum.

Alastorides Tros (ois) Alástoris filius.

Alcaides Amphítryo, siue Amphitruo (ónis) Alcæi filius ex Laónome; aut secundùm alios, ex Lysíndice. vel Hercules Amphitryonis, vt putabatur, filius, & Alcæi nepos, Alcaidarum germen dictus Píndaro.

Alcaidæ dicti sunt Herculis filij, Alcæi nepotes, qui postea Heraclídæ fuerunt appellati.

Alcanorides Bítias (ae) & Pándarus, Alcánoris Troiani filij, & Aenéæ in Italiam comites.

Alcides Hercules, nepos Alcæi, aui paterni, fuit enim Alcæus. Pater Amphitruónis, à quo genitus fuit Hercules. vel ita dictus à nomine græco ἀλκή, idest robúr.

Alcimides Mentor (oris) Alcimi filius.

Alcmæonides Clísthenes (is) Alcmaéonis filius, qui vnà cum suis fratribus expulit Pisístrati filios, Athenien-

niensium tyrannos.

Alcmæonidæ Alcmæonis Atheniensis filij, nepotes, & posteri, qui in Attica Pisistratidarum tyrannidem abrogarunt.

Alcyonidæ. v. Halcyonidæ.

Alebiades *Argus* (non ille quidem centoculus) *Argiuorum* Rex, *Alébæ* filius, seu nepos: ex cuius nomine *Argi*, & *Argiui* sunt appellati, & tota regio Peloponnési *Argos*, siue *Argolis* dicta est.

Alectorides Iphis (idis) *Aléctoris* filius, *Anaxágoræ* Argiuorum Regis nepos.

Alegenorides Prómachus, *Alegénoris* filius.

Alemonides Mycilus *Alémonis* *Argolici* filius, Crotónis vrbis conditor.

Aleuadæ dicti sunt Principes quidam Thessalorum in vrbe Larissa, ab *Aléua* Rege originem trahentes, qui Xerxi in Græciam irruenti, Thessáliam prodiderunt, vel filij ipsius *Aleuæ*, idest Thorax (ácis) Eurypylus & Thrasydius.

Alexibiades Carrhótus Alexibij filius.

Aloides Epópeus Alóëi filius.

vel Márathon (ónis) Aloëi nepos.

Aloidæ vel Aloïadæ | Otus, & Ephialtes, fratres gemini, & gigantes, filij Neptuni ex Iphimedia: ita dicti ab *Alóëo* Iphimediç marito, cuius filij putabantur. qui cum Superis bellum inferrent, à Ioue fulmine ictos; vel, iuxta alios, ab *Apolline* sagittis confossos memorant.

Amadathides *Aman* filius *Amádathi*, in aula *Assuéri* Regis princeps: qui cum Mardochæo ex Iudæorum ge-

 nere

nere ſuſpendium per inuidiam comparaſſet, ipſe in illud actus eſt iuſſu Regis.

Ămalecidæ, ideſt Amalecítæ, populi oriundi ab Amalec, qui filius fuit Elíphas, nepos Eſau: horum Rex fuit Huza, qui contra Hebræos pugnauit, & deuictus fuit.

Ămaryncides Diores (is) Amaryncei filius.

Ămantiades Satillus Amantij filius.
vel Celmus puer, qui Satillum interfecit, quanquàm alij à Cherino Satillum perhibent interfectum.

Ămathiades Ionas propheta Amáthi filius, quem cetus deuorauit, & poſt triduum reiecit.

Ămilcarides Annibal Carthaginienſium dux celeberrimus, Amílcaris filius. vel Asdrubal Annibalis frater.

Amithaonides -v. Amythaonides.

Ămosides Iſaías propheta, filius Amos.

Ămphiaraides Alcmæon (onis) filius Amphiarái, & Eriphyles, quam ipſe matrem ſuam interfecit, vlciſcens patris iniuriam ab ea illatam. cum enim pater ſe occuluiſſet, ne ad Troianum bellum ire cogeretur, vbi ſe moriturum ſciebat; illa maritum prodidit Polyníci, à quo pretioſum moníle acceperat.
vel Amphílochus, Amphiarai etiam filius, Alcmaéonis frater.
vel Tiburtus, Coras (æ) & Catillus, Amphiarai ſimul filij: quorum poſtremus Italiæ vrbem condidit, & à fratris nomine, Tibur, eam appellauit.

Ămphionidæ ſeptem liberi Amphíonis, & Níobes, ab Apolline ſagittis confoſſi: imò & ſeptem eiuſdem filiæ, ſimili fato confectæ à Diána. eorum nomina habes in voce Tántalis.

Am-

Amphionidæ dici possunt Thebáni, ab Amphíone eorum Rege, qui lyrae, seu cítharæ sono moenia Thebarum extruxit, quæ postea Isménias tibiæ cantu destruxit, ita imperante Alexandro Magnò.

Amphitryoniades vel Amphitryonides } siue Amphitruoniades, Hercules, qui credebatur Amphitryónis, siue Amphitruonis filius ex Alcména, cum eius pater esset Iupiter.

vel Iphiclus, siue Iphicles (is) verus Amphitryonis filius, & eodem partu cum Hercule editus; qui certamen Olympium iam intermissum instaurauit, anno post excidium Troiæ quadringentesimo octauo. quanquàm Solínus Iphiclum Herculis filium appellat, non fratrē.

Ampycides Mopsus Lápitha, ideſt Théssalus, qui fuit Ampyci filius ex Chlóride Orchómeni filia; Apollinis sacerdos, & vates, siue augur clarissimus.

vel Idmon (onis) vates inter Argonautas, Mopsi fortasse frater creditus, quamuis Apollinis dictitetur filius ob diuinandi peritiam. tribus autem vatibus vsi sunt Argonautæ, Idmone, Mopso, & Amphiarão.

vrl Agénor (oris) Ampyci nepos, Arei filius.

Amramides siue Amriades } Móyses, seu Moses legislator, filius Amram, nepos Caath, prónepos Leui, frater Maríæ Prophetissæ.

vel Aaron eius frater, primus Hebræorum pōtifex consecratus.

Amraphides dicitur Amraphes, auríga Sehon, Regis Amorrhæorum. quod ita fortasse formatur à suo met nomine.

Amriades Achab Israëlitarum Rex, Amri filius, impijssimus

mus ex antecessoribus suis: cuius vxor Iézabel impietate viro minimè cessit.

Amyclides Hyacinthus Lacon, puer speciosissimus, ab Apolline, & Zéphyro adamatus. ita dictus, quia fuit filius Amycli, siue Amyclæ ex Dioméda. Amyclas autem fuit Amyclarum, vrbis Lacóniæ, conditor.
vel Cynortus Hyacinthi frater.
vel Argalus eiusdem filius, natu maximus, qui mortuo patre regnauit.

Amyntiades Philippus Amyntæ filius, & Alexandri Magni pater Macédonum Rex.
vel duo fratres Philippi Alexander, & Perdiccas, quorum vterque ante Philippum, alter post alterum regnauit.

Amyntorides Phœnix (ícis) Phocensis, Amyntoris filius, & Achilli præceptor datus à Péleo eius patre, postquàm ipse Phoenix liberatus est cæcitate à Chiróne Centauro.
vel Tlepólemus Herculis, & Astydamíæ filius, & nepos Amyntoris, qui fuit Astydamiæ pater.
vel Teutámides, seu Teutamidas, Amyntoris filius, & Pelasgorum princeps.

Amyntoridæ dicuntur omnes Rhodij, ab Amyntore auo materno Tlepólemi, qui apud illos regnauit.

Amythaonides Melampus (odis) insignis augur, & medicus, Amytháonis filius, qui filias Prœti, Argiuorum Regis, helléboro purgauit ab insania.
vel Bias (antis) (alius ab illo Prienæo sapiente) Amytháonis filius, Melámpodis frater, qui regni Argiui partem obtinuit.

Anaxagoridæ gens, seu familia, quæ ab Anaxágora, Argiuorum Rege, traxit originem.

An-

Ānchisiades Ænéas, Anchísæ filius, Troianorum dux in Italiam.

Ānchisiadæ dici possunt Troiani, ab Anchise Troiano, Æneæ genitore.

Āndræmonides Thoas (antis) Andræmonis filius.
vel Amphísus eiusdem filius ex Dryope.

Āntenorides Helicáon(onis) vel Pólybus (i) vel Agénor (oris) vel Acamas (antis) vel Iphídamas (antis) vel Leódamas (antis) vel Cóon (ónis) Anténoris filij.
vel Polydamas (antis) nobilis Troianus, Anténoris filius, Lycastes, Priami filiæ, coniux: qui cum Antenore parte suo, & Aenea dicitur Ilium Græcis prodidisse.
vel Archeláus eiusdē filius, & rei militaris peritissimus.
vel Titus Liuius Patauînus historicus, ita dictus ab Antenore Troiano conditore Patauij.

Āntenoridæ dicti sunt Patauini omnes ab Anténore suo conditore.

Āngides Phyleus Angei filius, vnus ex ducibus Græcorum, qui ad Troiam nauigarunt.

Antesioniades v. Autesioniades.

Ānthemides vel Anthemionides } id est Anthemiónis filius, cuius nomen ignoratur.

Āntigonides Demetrius alter, Antígoni filius. potest tamen secunda ob necessitatem produci.

Āntipatrides Heródes Antípatri, siue Antípatris Idumæi, & Cypridis Arabissæ filius, Iudææ Rex, qui Bethleemítas infantes occídit, suosque tres filios. potest autem secunda produci ob necessitatem.

Aori-

Aonidæ dicuntur Bœóti, seu Boeotij populi, ab Aónia, quæ pars est Boeótię.

Apiades Argus Rex (à quo Argiui dicti sunt) Apis, siue Apidis filius.

Apharantiadæ, Libyæ populi, qui & Apharantes dicuntur.

Apharides vel Aphareiades — Lynceus (acutissimi visûs homo) & Idas (æ) Apharei, Regis Messeniorum, filij: quorum Idas Cástorem interfecit; Pollux verò, Castoris frater, Lynceum occidit: at Idam fulmine Iupiter extinxit.

Aphareiadæ vel Apharetiadæ vel Apharetidæ — dicuntur ijdem germani fratres supra dicti: fortasse quia eorum pater & Aphá-reus, & Aphárétus, appellabatur; vel potius Aphares (étis).

Apollonides (vel tertia correpta ob necessitatem) Lycomédes Appóllinis filius ex Parthénope, Ancæi filia. vel Milétus eiusdem filius ex Argéa, aliàs Aegéa, seu Deíone, qui Milétum vrbem in Cária condidit. vel Delphus ex Acachállide nympha, qui nomen dedit Delphis, vrbi Phócidis, & vmbilíco totius terræ. vel Iămus vates ex Euadne. vel Mopsus item vates ex Manto. vel Philammon (onis) ex Chíone nympha, clarissimus carmine, & cithara. vel Aesculapius medicus ex Corónide Phlégyæ filia. vel Orpheus musicus ex Callíope musa. vel Chius ex Anathippe, à quo Chios insula vocata fuit.

Apollonidæ dicuntur vates omnes Délphici, seu Pythij, ab Apolline ita nuncupati.

Araniades vel Arrhanides } Lot, seu Lotus filius Aran, siue Arrhan. eius vxor in salis statuam conuersa est, quia contra Dei præceptum Pentapolis incendium respexit.

Arcadides Elatus, Arcadis Regis filius, qui Cyllénen montem possedit, & apud Phocenses Elatéam oppidum muniuit.

vel Aphídas (antis) & Azan (ánis) vnde dicta est Azánia Arcádiæ pars.

vel Autoláus eiusdem filius nothus, qui Aesculapium expositum sustulit.

Arcasides Iasius, qui fuit Abantis filius, & frater Dárdani, in Arcádia natus.

Arcesiades Laërtes (æ) Vlyssis pater, Arcesij filius: vel, vt alij scribunt, Arcisij; vnde Arcisiades.

Arciadæ familia Gallicána eorum, qui ab Arcio equite Gallo orti sunt.

Arestorides Argus Aréstoris filius, qui Mineruæ ope nauem Argo molítus est.

vel Opheltes, Arestoris etiam filius, qui fuit comes Bacchi, cum is bellum contra Indos suscepit.

Arethusidæ siue Arethusiadæ } dicuntur Syracusani, ab Arethúsa ipsorum fonte,

Aretiades Nisus Aretij filius.

vel Amphínomus Nisi filius, Aretij nepos.

vel Cycnus Martis filius: Mars enim græcè dicitur ἄρης (ητος) & ita omnes filij Martis, inter quos est Remus, & Romulus ex Ilia.

Aretiades vel Aretiada } etiam appellatus est fons Dirce iuxta Thebas Bœotias: ita dictus, quia propè illum in quadam spelunca Draco insignis magnitu-

dinis latebat; qui Martis, & Veneris filius credebatur. hunc postea Cadmus occidit, vlciscens suos ab illo deuoratos: è cuius dentibus, iussu Martis deinde satis à Cadmo, homines natos esse fabulantur, qui mutuis vulneribus sese postea trucidarunt.

Argalides Criasus *Argasi* filius. hic fuit vnus militum Bacchi, qui à Deríade Indorum Rege, cum quo Bacchus bellum gessit, interfecti sunt.

Argeades Polymélus *Argeæ* filius.

Argeadæ dicti sunt Macédonum Reges ab *Argeo* quinto eorum Rege, qui regnauit annis 38.

Argides vel *Argeides* { *Anaxágoras* *Argiuorum* Rex, *Argei* filius. fuit & alter *Anaxagoras* Philosophus Clazomenius Hegesibúli, siue Eubúli filius.

Aristonides Plato, philosophus *Atheniensis*, magister *Aristótelis*, *Aristónis* filius, & Perictiónæ. Plato autem dictus fuit, vel ob orationis, vel ob frontis, aut humerorum amplitudinem; nam antea vocabatur *Arístocles*, siue *Aristoclees*.

vel Demáratus alterius Aristónis filius, Messeniorum Rex.

Aristorides *Argus* centóculus, filius Arístoris, cui ex ijs centum oculis octo, & nonaginta vigilabant, bini verò vicissim dormiebant.

Arsacidæ dicuntur omnes Parthi, ab Arsace eorum Rege, in cuius honorem reliqui Parthorum Reges Arsaces, siue Arsacidæ fuerunt appellati: sicuti Ptolemæi, omnes Aegyptij Reges post Ptolemæum.

Arsacidæ dicuntur populi Arsáciæ, quæ vrbs est in Média, sic à Parthis appellata, quæ antea Európus dicebatur. quare omnes Medi, imò & Persæ ita possunt appellari.

pellari. Pérsia enim, vti & Párthia, intra Mediam continentur.

Asclepiades Machâon (ōnis) & Padalirius, optimi medici, quorum pater Asclepius, siue Aesculapius dicebatur (qui fuit Apollinis, & Corónidis Nymphæ filius) mater verò Epione. Est etiam nomen proprium poetæ Græci (vnde dictus est versus Asclepiadéus) & aliorum.

Asclepiadæ, vel *Asclepiadum* filij, seu nepotes, dicuntur ipsi medici: nam Aesculapij artem profitentur.

Asereidæ gens de tribu Aser, qui fuit octauus filius Iacob, ex Zelpha ancilla Liæ, vxoris suæ.

Asiades Phænops (ōpis) Asij filius.

vel Adamas (antis) eiusdem filius.

Asiadæ dicuntur Asiæ populi, cui nomen dedit Asia, Nympha, Océani, & Téthyos filia.

Asopiades Aéacus Asópi nepos (Asopus enim genuit *Aegínam* Aeaci matrem) post mortem factus inferorum iudex.

Ita etiam dici posset Amphíon citharœdus, & Rex Thebanus. vel Zethus musicæ item peritissimus: qui fratres fuerunt, & filij Asíopes, quæ erat filia *Asópi*, vt ait Homérus, & *Apollonius*: quamuis alij Nyctei filiam faciunt.

Asopichides Phormio (ónis) Atheniensis, *Asópichi* filius, qui noluit classis præfecturam suscipere, ni prius creditoribus debitum persoluisset.

Astacides Menalippus, ciuis Thebanus, Astaci filius, qui Tydeo ad Thebas vulnus Lethale inflixit.

Asterides vel Asterionides { Minos (ójs) Cretensium Rex, *Asterij* filius, sed vulgò Iouis, dicitur. Reges enim omnes olim Ioues (vt ait Tzetza) vocabantur.

Atalantiades Parthenopæus, Atalantæ Arcadis, ac venatricis, & Meléagri filius; vnusque è septem ducibus, qui ad Thebas occubuerunt.

Athamantiades Palæmon(onis)filius Athamantis ex Ino, dictus alio nomine Melicertes, seu Melicerta; & à latinis Portumnus, seu Portúnus, quod pórtubus præesse putaretur: in cuius honorem instituta fuerunt Isthmia certamina, in quibus victor pinu coronabatur.
vel Learcus, seu Clearchus, eius frater.
vel Phrixus, Athamantis filius ex Néphele.

Athemonides siue Athemides } Athémonis filius, cuius quidem nomen proprium ignoratur.

Atlantiades vel Atlantides } Mercurius Maiæ, & Iouis filius, Atlantis nepos: Maia enim fuit Atlantis filia.
vel Dárdanus, à quo Dardánia (quæ postea à Troë, Troia, fuit appellata) Iouis filius ex Electra, Atlantis filia.
vel Hermaphrodítus, Atlantis prónepos: fuit enim filius Mercurij, & Véneris.
vel Hyas (æ, seu antis) Atlantis ex Aethra filius, & frater septem puellarum, quæ in stellas Atlántidas, siue Hyadas conuersæ sunt.

Atracides, idest Théssalus, & sumitur pro Achille: Atrax enim, siue Atrácia, est vrbs Thessáliæ: quanquàm fuit Achilles, Phthius, seu Larisşæus. Phthia autem est vrbs Thessáliæ.
vel Caéneus Thessalus, qui ex fœmina mas à Neptuno fuit factus, sibique tandem manus intulit.

Atracidæ dicuntur Thessali omnes ab Atracio, qui magicas

gicas artes ibi eos edocuit.

Atrides Agamemnon (onis) aut Meneláus Atrei ex Aërope filij; vel potius nepotes ex fratre Plísthene. Menelaus minor natu, fuit Rex Spartæ, seu Lacedaémonis: Agamemnon maior natu, Rex Mycenarum, qui ab vxore Clytemnestra, & ab Ægistho adultero occisus fuit.

vel Hilæsus Atrei nepos, & Agamemnonis filius.

Attalides Attalus, Attali filius, qui Gallos à mari Asiatico in terram, quam etiamnunc tenent, confugere coëgit.

Atyades dici potest Lydus, & Tyrrhénus frater, filij Atyis, siue Atyos, & Callítheæ: quorum primus Lydiæ in Græcia nomen dedit, quæ ante dicebatur Mæónia: alter verò Tyrrhéniæ, siue Etrúriæ in Itália, Tyrrhéni autem filius secundùm aliquos fuit Tuscus, qui Túsciam cognominauit. Lydus iste dicitur alijs Herculis filius, cum fuerit nepos; Atys enim fuit filius Herculis.

Augeiades vel Augeades siue Augades | Phyleus Augéæ, Elidis Regis, filius, natu maior. vel Agásthenes eiusdem filius. vel Polyxenus Agásthenis filius, Augéæ nepos. Augéas autem dicitur etiam Augías; scribitur enim græcè Αυγέας. hic autem fuit Rex ille, cuius stabulum, seu bouíle Hercules repurgauit. nonnunquã sublato ε, scribitur Αυγίας. idest Augias.

Augustiniadæ Religiosi ex familia Diui Augustini.

Ausonides Líparus Rex, Ausonis filius, qui Líparæ insulæ nomen dedit: nam antea dicebatur Meligúnis.

Ausoni-

Ausonidæ Itali; nam Italia, vel altera eius pars dicitur Ausónia ab Aúsone Vlyssis, & Calypsûs filio; qui ibi Aruncam, siue Auruncam vrbem condidit: vbi natus est Lucilius poëta latinus, Satyrarum scriptor.

Austriades Philippus primus Hispâniæ Rex, & cæteri eiusdem generis, seu familiæ, vti Cárolus V. eius filius, Philippus II, Caroli filius; Philippus III; Philip. IV.; & Carolus II. Philippi IV. filius. item Leopoldus I; Romanorum Imperator, Ferdinandi III. filius, ita dicti à dominatu Prouinciæ Aústriæ.

Autesioniades Theras (antis) Thebanus, Autesiónis filius, Polynícis, Oédipo geniti, ábnepos; à quo Thera insula appellata est, quæ ante dicebatur Calliste, vna Cycladum in mari Aegæo, inter Cretam & Líbyam: ex qua profecti sunt, qui Cyrénen ædificarunt.

Azides Actor (oris) Azei filius.



B

Bacchiadæ dicti sunt Angelastus, Eudémus, Aristodémus, Eumélus, Amphílyti filius; Amphíon pater Labdæ, matris Cypseli; & alij, qui Corinthi ducentis annis sunt dominati, & inde tandem exules in Siciliam deuenerunt: vbi vrbem inter Pachynum, & Pelórum ædificarunt, quam aliqui Syracúsas fuisse affirmant. ita dicti quod à Bácchia, seu Bácchide Dionysij, seu Bacchi filio (qui Corinthum habitauit) originem duxerũt. quanquàm alij Bácchiam Bacchi filiam existimant. ex Bacchiadarum stirpe fuit Demáratus Corinthius; cuius filius Lúcumo (ónis) prius, deinde Tarquinius Priscus appellatus, quintus fuit Romanorum Rex.

Bácchides Bacchi filius, vel nepos (nam Bácchides, nomen proprium, corripit penultimam) inter filios autem memoratur Dionysus ex Amalthéa nympha.

Item Stáphylus, cuius proneptibus concessit Bacchus, vt quidquid tangerent, in triticum vinum, & oleum mutarent.

vel Hymenæus, nuptiarum Deus habitus, ex Vénere, siue Vránia musa.

vel Thoas (antis) Lemni insulæ Rex, ex Ariadna, Minóis filia, pater Hypsípyles, Lemni Reginae. & cæteri filij complures.

Bassidæ familia à Basso quodam orta in Aegína insula; à quo genus maiorum Alcímidæ principium duxit.

Battiades Batti, Cyrénes conditoris, filius; idest Callímachus Cyrenensis, poëta élegus, & elegorum princeps apud Græcos: qui in Apollonium Rhodium, discipulum suum, carmine imprecatorio inuectus est. quan-

quàm

quàm alijs non filius, ſed oriundus à Batto dicitur.
vel Arceſiláus Batti filius; qui ſexdecim regnauit annos, cum Battus pater quadraginta annos regnaſſet.

Battiadæ dicuntur omnes Cyrenenſes, quia Battus Cyrénen vrbem in Africa condidit.

Belides Palamédes, Nauplij filius, ortũ ducens à Belo.
vel Dánaus Beli filius, qui quinquaginta filias habuit: & ab eo Argiui dicti ſunt, Dánai.
vel Aegyptus (Aegyſthum alij vocant) eius frater, qui quinquaginta filios habuit, quorum quiſque Belídes dici poteſt, inter quos fuit Lynceus, qui ſolus necem euaſit; cum reliqui ab vxoribus Danaídibus occiſi eſſent.
vel Agénor (oris) Rex Phœnícum, Beli Regis filius, ſeu frater.
vel Pygmálion (ónis) Beli Tyriorum, ſeu Phoenícíæ Regis filius, frater Didónis.

Belides Ninus, ſecundus Aſſyriorum Rex, filius Beli (eius, qui Nembroth eſt appellatus) Semirámidis vir, & Miniues conditor.

Bellerophontiades Hippólochus, Bellerophontis, & Achímenes filius, & pater Glauci: qui quidem Glaucus Rex Ephyræ fuit, Troianoque bello ſuppetias Priamo tulit: homo tamen ita ſtupidus, vt cum Diomede arma ſua permútans, ærea pro aureis receperit.
vel Iſander (dri) Bellerophontis, & Achimenes filius, Hippólochi frater.
vel Sarpédon (onis) eiuſdem nepos: filius enim fuit Laodamíæ filiæ Bellerophontis.

Beniamides Bela, Bechor, Asbel, Gera, Náaman, Echi, Ros, Mophim, Ophim, Ared, filij Béniamin.
vel Saulus Beniamides, ideſt Paulus Apoſtolus, qui
fuit

fuit de Tribu Béniamin. ex qua etiam ortus est Saul (ûlis) Rex Israëlitarum.

Béniamidæ Israélitæ, à Béniamin ducentes originem.

Beorides Bálaam filius Beor, nobilis aríolus, cuius asina prophetasse visa est.

Berenicidæ pars tribus Ptolemáidis in Líbya; ita dicta à Berenice Ptolemæi vxore.

Berentiades Atys, qui in Berecyntho Phrygiæ monte (vbi Cybeles sacra fiebant) cum venaretur, lassitudine oppressus, sub pinu somnum capiens, pínei pomi casu perijt. ita dictus fortasse pro Berecynthiades.

Bethlemiadæ seu Bethleidæ } dici possunt Bethlemítæ, id est Bethleémis indigenæ, seu populi. est autem Bethleē, seu Bethle, aut Bethla, duplex: altera in tribu filiorum Zábulon; altera in tribu Iuda, ciuitas Dauid, & patria Iesu Christi.

Bianoridæ Mantuáni, Italiæ populi: ita dicti à Biánore (qui aliter vocatur Ocnus) filio Tíberis fluuij, & Mantûs fatídicæ, qui Mantuam condidit, & à Manto eius matre denominauit.

Biantiades Tálaus Biantis, Argiuorum Regis, filius. vel Areius, & Leódocus, eiusdem etiam filij, & omnes tres Argonautæ.

Bistonidæ Thraces dicuntur, à Bistone eorum flumine.

Blepsiadæ Tribus quædam Æginæ, ita dicta à Blepsiade Æginéta, & Alcimedōtis próauo. Pind. in Olymp. ode 8.

Boéthœdes vel Boëthoides } Eteóneus, Böëthi, vel Böéthei filius, eo vtitur Homerus.

Borbonides Ludouícus XIV. Ludouici XIII. filius, Gal-

læ Rex: ita dictus, quia trahit originem ab Aloysio, Comite Clarimontij, & Duce Borbonij. ita etiam dici potest Philippus, Dux Aurelianensis (hodie d'Orliens) & alij principes regij sanguinis.

Boreadæ (vel prima ob necessitatem producta) Cálais (idis) & Zetes(æ) Bóreæ ex Orithyia filij, alis præditi, & sagittandi arte peritissimi: qui Harpyias à Phíneo sene expulerunt, fugaruntque in Stróphadas insulas. sed tandem ab Hercule occisi, & in ventos mutati, qui Pródromi, idest præcurrentes appellantur: Caniculæ enim ortum præcurrunt.

Borysthenidæ populi Scythiæ propè fluuium Borysthenem. ita etiam appellari possunt Scythæ omnes.

Bosphoridæ Thraces, à Bosphoro mari ita dicti.

Botáchidæ v. Potáchidæ.

Branchiades dicitur Apollo, à Brancho Thessalo, puero sibi dilecto, vel à Brancho filio, cui vaticinandi artem ipse concesserat.

Brittonidæ omnes illi, qui ex Bríttonum, seu Brítonum gente oriuntur.

Bronteides Tántalus alter, qui Clytemnestræ coniux fuisse dicitur, & Bróntei, seu Thyestæ filius. v. Thyestiades.

Brutiadæ Angli, à Brutio originem trahentes.

Bucolides Sphelus, Búcoli filius.
vel Iäsus spheli filius, Búcoli nepos.
vel Euphorbus, quem Orpheus Búcoli filium dicit: Homérus autem Panthi, seu Pánthoi. v. Pânthoides.

Budidæ familia, seu gens quædam in Ægina à Budióne quodam cognominata, vt ait Dídymus, citatus à Scholiaste Pindari ode 6. Nemeor.

Butades seu Butiades } Eryx (ycis) Butæ, Bebryciorum Regis, & Lycastes meretricis filius, apud Drépanum Siciliæ vrbem natus: qui hospites ad cæstuum certamen prouocans, non paucos trucidabat: ab Hercule tandem superatus, in Drepani monte (qui ab eo Eryx est appellatus) sepultus dicitur. quanquam alij Véneris filium faciunt, quæ in eo monte templum habuit celeberrimum; vnde dicta est Erycína.

Butadæ dicti sunt Athénis pars Tribus Ægéidis, à Buto Pandíonis filio.

Buziades Ezéchiel Prophéta, filius Buzi, & sacerdos in terra Chaldæorum.



C

Cadmides Polydórus Cadmi filius, & Harmóniæ, qui Thebis regnauit; & ex Nycteide, Nyctei filia, Lábdacum genuit.

Cadmidæ posteri omnes ex prosapia Cadmi, Phœnícum Regis, ac Thebárum conditoris.

Caenides Corónus, Caénei filius.

Cambysiades Cyrus maior, Persarum Rex, Cambysæ, & Mandánes filius; qui Astyagem auum suum deuicit, eiusque regnum inuasit. vel Cyrus minor, alterius Cambysæ filius.

Capaneiades Sthénelus Capánei filius. vel Euadnes, vnus ex ijs Græcis, qui equo ligneo fuerunt inclusi.

Capharides Caphárei filius. ita etiam dici posset Nauplius Eubœæ insulæ Rex, vbi est mons Caphareus. vel eius filius Palamédes.

Caramphorides Crancánor (oris) miles prætorianus Regis Og, de genere gigantéo.

Carmantidides Górgias (æ) Leontínus, Carmántidæ filius, Empédoclis discipulus, & Orator deinde eximius: qui quinq; supra centum vixit annos; & adhuc viuens Athénis statuâ fuit aurea exornatus.

Carnaides Og, siue Ogus, Rex Basan, filius Cárnai.

Carniades videtur nomen proprium eius, qui fuit pater Telesícratis Cyrenensis, qui Telesicrates patriam suam illustrauit, victor in Pythijs.

Caspiadæ populi Scythiæ ad Caspium mare, apud quos sæuissimi sunt canes: qui populi dicuntur etiã Caspij.

Casto-

Castorides Anógon (onis) & Anaxis, siue Aulóthus Cástoris (qui fuit Pollúcis frater) filij ex Ilaíra, siue Elaíra, Leucippi filia.

Caystrides seu Caystriades | Ephesus, quem Caystri fluminis filium esse fabulati sunt: à quo Ephesus etiam dicta est, Græciæ vrbs.

Ceades Trœzenius, Ceæ filius. vel Euphémus Troezenij filius, Ceæ nepos.

Cecropides Erysichthon (onis) Cécropis, Atheniensium Regis, filius.

vel Pandíon (onis) minor, qui filius fuit Cécropis minoris: nam Pandíon maior Cránai filius extitit.

Est etiam epíthetum Théſei, qui à Cécrope trahebat originem.

Cecropidæ Cecropis, Atheniensium Regis, successores, & posteri: idest Cránaus, Amphictyon (onis) Erichthonius, Pandíon (Prognes, & Philomélæ pater) Eréchtheus Orithyiæ pater, Cecrops Eréchthei frater, seu filius, Pandion Eréchthei filius, seu nepos, Aégeus Pandíonis filius, Théseus Aégei filius, & Helenæ raptor, Mnéstheus Demóphoon (ontis) Théſei filius, Oxyntes (ae) Aphídas (antis) Thymoetes (ae) Melanthus, Codrus vltimus Rex.

Cecropidæ Athenienses, à Cécrope primo eorum Rege.

Cepheidæ dicuntur Aethiopes (qui primum Aetherij dicebantur) à Cépheo eorum Rege, & Andrómedæ patre.

Cephisiades *Etéocles* Rex Orchomeniorum in Boeótia, quem Cephisi amnis filium credebant, cum esset filius Andrei, & Euippes, Leucónis filiæ.

vel Narcissus, Cephisi amnis, & Nymphæ Liriopes

filius, in florem sui nominis mutatus.

Cercyonides (vel secunda ob necessitatem producta) Hippóthous Cercyonis filius, Agamédis nepos, Stymphâli pronepos.

Chalcodontiades Elephénor (oris), Chalcodontis filius.

Chalcodontiadæ dicuntur Eubœenses, à Chalcodonte filio Abantis, qui fuit Eubœensis.

Chamiades Nembroth filius Cham, Noë filij. vel Belus (qui & Nembroth dictus est à patris nomine) Cami nepos, & Babylónis conditor.

Chamiadæ dici possunt Afri omnes, à Cham Nóëmi filio, cui in terræ diuisione contigit Africa vniuersa.

Chariadæ Tribus quædã in Ægina à Chária quodam cognominata: vnde oriundus fuit Dímias (æ) Mege filius, & victor in stádio. Pindar. ode 8. Nemeor.

Charmidides Phídias (æ) sculptor, Chármidæ filius.

Chionides (vel prima ob necessitatem producta) Autólycus, & Philammon filij Chíones, mulieris pulcherrimæ, ob candorem niuis ita dictæ: quæ cum Mercurio genuit Autólycum, cum Apolline Philámmonem, qui carmine, & lyra plurimùm valuit.

Christiadæ dicuntur Christiani, Christum Dominum adorantes.

Chrysaorides Geryon (onis) seu Geryones (æ) seu Geryoneus Chrysáoris filius, trium Insularum Hispanicarum Rex, qui tria dicitur habuisse corpora, sed ab Hercule interfectus.

Cissides Sâul (ûlis) Cissi filius, & primus Israëlitárum Rex, qui Dauídem ad necem est insecutus.

Cisſides } Mygdonus, & Otreus, fratres Hécubæ, Ciſ-
ſeu } ſei, Thráciæ Regis, filij.
Ciſseides }

Cleenorides videtur patronymicũ, ideſt filius Cleenenoris, cuius nomen ignoratur; qui adhuc iuuenis ſubmerſus eſt. *A*nácreon vtitur in Epigr.

Cleombrotides Pausánias, Cleómbroti filius, dux Grȩcię claſsis, qui Græciam perdere meditabatur. hic Cleonícen puellam Bizantiam noctu in caſtris ſuis occídit per imprudentiam.

Cleonymides Meliſſus Thebánus Telesíadæ filius (cuius próauus paternus fuit Cleónymus) victor in Iſthmijs, & Pythijs.

Cleonymidȩ dicuntur poſteri omnes Cleónymi Thebani.

Cliniades dicitur *A*lcibíades, Clíniæ filius, qui in quodã Phrygię oppido vnà cũ domo crematus eſt ab inimicis. vel Arátus Clíniæ itidem filius.

Clytiades (vel prima ob neceſſitatẽ producta) filius Clytiæ, puellæ dilectæ à Sole, qui radijs Phoebi exuſtus eſt.

Clytides Dolops (ópis) filius Clytij. vel Calétor (óris) vel Piræus, filij eiuſdem Clytij.

Cocalidæ dicuntur Cócali, Siciliæ Regis, filij, ſeu ſubditi. Cocalus autem regnauit in quadam Siciliæ vrbe, cui nomen Inycus (hodie Camerata, ſeu melius Partanna) quò aduolaſſe ferunt Daédalum fugientem è Creta. ſubditi autem Cocali erant Sicáni omnes, qui occidentalem Siciliæ partem incolebant.

Codrides Medon (ontis) Níleus, ſeu Néleus, Andróclus, Cyarétus, Andræmon (ónis) Damaſichthon

Codri-

(onis) vel eius frater natu minor, *Aemon* (onis) appellatus, qui à Sphinge dilaniatus est. vel Prométhus, Dámasus, Cléoclus, Codri filij. Ex his Medon fuit primus princeps eorum, quos Athenienses Reipublicæ initio Archontes, idest principes nominarunt.

Codridæ Athenienses omnes, ita dicti à Codro eorum Rege; qui se pro patria deuôuit.

Coeranides Euchénor (oris) filius Coérani, filij Abantis. vel Polyídus Coérani filius, qui vates fuit.

Cononiades Timótheus Atheniensis, Conónis, filius, & in prælijs fortunatissimus, quem eius aemuli in tabulis dormientem pingebant, & Fortunam interim retia vrbibus circumponentem.

Cópadę v. Scopadæ.

Coronides Aesculapius (siue Asclepius, vt Græci nominant) Corónei nepos, & Apollinis ex Corónide filius, Deus medicinæ habitus, qui Epidauri in vrbe Peloponnési, templo insigni colebatur. quãquàm alij, vt *Asclepiades* poëta, dicunt filium fuisse *Arsínoës*, Leucippi filiæ. sed Aristides eandem Arsinoën, dum virgo erat, Corónidem appellatam scribit. Pindari Scholiastes ode 3. Pythior.

Corynetides seu Corynetiades } Corynétæ *Aethíopis* filius, ignoto nomine. vel quilibet *Aethíopum*, qui sunt Aegypti populi, Aethiopes dicti à Corynéta prædicto. v. Vulcánides.

Cranaides Pandíon maior, Cránai filius, Atheniensium Rex.

Cratides Eumédes (is) filius Crátidæ, per Syncopen pro Cratídides.

Crau-

Craugidides Philopoemen (enis) Arcas, Cráugidis filius, bellica clarus virtute, & Græciæ pater appellatus.

Creontiades & Criontiades. Herculis filius ex Mégara Thebána, Creontis Thebanorum Regis filia; quem pater in furorem versus interémit vnà cũ Therímacho, Deíone, ac Deicoónte eius fratribus. videtur tamen potius nomen proprium.
vel Lycomédes (is) Creontis filius.
vel Menaéceus Thebánus, Creontis filius, qui pro patriæ salute vitam sponte profúdit.

Crethides vel Cretheides alijs Crithides, Aeson (onis) pater Iásonis, & filius Créthei, seu Críthei ex Tyro, Salmónei fratris filia.
vel Pélias (æ) Aésonis frater, Créthei filius, vt putabatur; verus enim pater fuit Saturnus.
vel Alcymedō (ontis) vel Amytháon (onis) Créthei filij:
vel Néleus, item Créthei filius (cuius regia vrbs, Pylos fuit, apud Messénen in Peloponnéso) iuxta vulgi opinionem; nam verè Neptuni filius fuisse dicitur: & hic ex Chlóride duodecim suscepit filios, omnes ab Hercule occisos, præter Néstorem, tum fortè ablegatum, cum Pylos capta ab eo fuit.
vel Pheres (étis) eiusdem filius, & Adméti pater: à quo Pheræ oppidum Thessáliæ fuit denominatum.

Cretheiades Tálaon (ónis) seu Tálaus filius Créthei, & pater Adrasti: & ita etiam appellari possunt omnes prædicti Crethei filij.

Crimisiades vel Crinisiades Acestes, siue Aegestes (alijs Aegestus) filius Crimísi, seu Criníli Siciliæ fluminis (hodie Belíci) & Aegestæ, siue Egestæ Troianæ mulieris. hic Aegestam, siue Egestam

(alijs

(alijs Segeſtam) Erycem, & Entellam, ſiue Entallam vrbes in Sicilia condidit, vt ait Tzetza.

Cronides Iupiter Saturni & Rheæ, ſiue Opis filius; Saturnus enim græcè dicitur κρόνος: vnde etiam Iónica formatione Crónion (ónis) eſt Iupiter. Homer. & Pind. in Olymp. & Pyth.. ita etiam dici poteſt Neptunus, & Pluton Iouis fratres, Saturni filij. vel Nilus fluuius, qui Crónides dicitur Píndaro ode 4. Pythiorum, ideſt Saturnius, quia illum Iouem vulgò appellabant Aegyptij, vt pote qui ſuis aquis Aegyptum fœcundaret, vti Iupiter terram imbribus.

vel Chiron Centaurus filius Saturni, & Phílyræ. Pindar. ibidem. v. Philyrides.

Crotopiades Sthénelas (æ) Crotópi filius.

vel Linus Crotópi, Regis Argiuorum nepos, à matre Psámathe abſconditus inter virgulta, & à canibus laniatus.

Ctearides (vel prima ob neceſſitatem producta) Amphímachus, Ctéati filius ex Theroníce.

Cyaxarides Aſtyages (is) Cyáxaræ, ſeu Cyáxaris filius, Medórum Rex.

Cyllenides ſeu Cylleniades } Mercurius Maiæ filius; qui etiam dicitur Cyllenius, & Cyllenæus à Cylléne monte Arcádiæ, in quo natus eſt. Mons autem nomen obtinuit à Cylléne, qui fuit Arcas, & Elati Arcádiæ Regis filius.

Cypſelides Periander (dri) Cypſeli filius ex Heraclidarum gente, Corinthiorum Rex, & vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus.

vel Olæas (æ) alterius Cypſeli Arcádiæ Regis filius, eiuſque in regnum ſucceſſor.

Cypſelidæ poſteri, & nepotes Cypſeli vtriuſq; ſupradicti,

uel

vel ipsi Corinthij, ita dicti à Cypselo Corinthiorum Rege: qui fuit Ixionis filius, vel vt refert Pausánias, Eetiónis.

Cyriades Cambyses (æ, vel is) Persárum, & Medórum Rex, Cyri maioris filius, & Cassandánes; superioris Cambysæ nepos, pater alterius Cyri.

D

Dactylidæ dici possunt Curétes, seu Corybantes, Cybeles sacerdotes, qui ab Idæis Dactylis geniti dicuntur. Dactylos autem, Idæos Cretentes, genuit Anchíale nympha in Cretensi spelunca.

Dædalides Icarus Daédali filius, qui, liquatis alarum ceris, in mare décidit, Icárium ab eo appellatum.

vel Iapyx (ygis) Dædali etiam filius, à quo Iapygia, idest Apúlia, fuit cognominata.

vel Dipœnus, & Scyllis (idis) quos aliqui inter Dædali filios numerant, sculpendi arte insignes.

Ita etiam appellari posset Perdix (ícis) Dædali nepos ex fratre, qui à patruo ob inuidiam de turri præcipitatus, in auem sui nominis est transformatus.

Dædalidæ dicti sunt, qui erant ex ea tribu Atheniensi, quæ à Dædalo, à quo trahebat originem, nomen sumpsit.

Ita etiam dici possunt Iápyges Italiæ populi, ab Iapyge Dædali filio nomen habentes.

Dædalioniades vel Dædalionides { Autólycus Dædaliónis filius (quamuis Mercurij dictitaretur) & Nearæ maritus, Parnassi montis incola.

Daiphantiades Píndarus Lyricorum apud Græcos princeps, Daiphantis filius: seu Scopelíni iuxta alios.

Damoclides est nomen proprium. sed ita etiam dici posset filius, siue oriundus à Dámocle, Dionysij tyranni assentatore, vel quouis alio. dicitur autem Dámocles, & Démocles, vnde Democlídes.

Damoxenides dici posset filius, aut oriundus à Damóxeno, qui fuit Atheniensis cómicus. est etiam nomen proprium.

Danaidæ (vel prima ob necessitatem producta) dicuntur Dánai, Argiuorum Regis (qui 50. filias habuit) successores, & posteri, idest Lynceus, Abas (antis) Proetus, & Acrisius huius frater.

Daniadæ, seu Danniadæ, dicuntur omnes è tribu Dan, qui fuit vnus filiorum Iacob.

Ita Oliab, siue Olíabus dicitur Daniades: fuit enim filius Achísamech de tribu Dan. hic Oliab diuina sorte additus est socius Beseleéli ad tabernaculum fabricandum.

Dardanides Erichthonius Dárdani, Troianorum Regis filius.

vel Tros (oïs) Erichthonij filius, Dardani nepos: à quo regioni Troiæ nomen impositum.

vel Ilus, Asśáracus, & Ganymédes fratres, & pronepotes Dardani, filij Trois.

Potest etiam ita vocari Zacynthus, Dardani filius è Psóphide, Arcádiæ vrbe; à quo Zacynthij populi dicti sunt.

Dardanidæ sunt Dárdani, Regis Troianorum successores, & posteri: idest Erichthonius, Tros (qui fuit pater Ganymédis, Ili, & Asśáraci; Assaracus autem pater Ca-

pys,

pys, ſeu Capyos, qui fuit pater Anchíſæ patris Ænéæ) Ilus. à quo Ilium Troiæ, Laómedon (ontis) & Príamus, ſub quo capta, & incenſa Troia.

Dardanidę etiam dicuntur Troiani, à Dardano eorum Rege.

Darides vel Dareiades } Xerxes (s) Perſarum Rex, Daríj prioris, filius qui decies ſepties centenis millibus hominum (ideſt con vn millione, e ſettecento mila) Græciæ bellum intulit.

vel Achæmenes Darij etiam filius, Xerxis germanus.

Daſcylides ſeu Daſculides } Gyges (gæ, vel gis) Dáſcyli, ſeu Dáſculi filius, qui priùs paſtor fuit; vel, ſecundùm alios, ſcutifer Candaulæ Lydorum Regis; deinde Rege occiſo, regnum ipſe inuaſit, poſtquàm anulum inuénit, cuius palam ad ſe conuertens ipſe ſeſe occultabat: eandem ad alios reflectens, iterum ſe oſtendebat.

Dauidiades Sálomon, vel Abſalom Dauídis filij. vel Nathan eiuſdem filius, vti & Amnon ab Abſalómo interfectus, quia Thámarem ſororem vitiarat. vel D. Ioſeph, (Deiparæ Sponſus) & Chriſtus Dominus, à Dauid originem trahentes.

Dauliades dici poſſet Pandíon Philomélę pater, à Dáulide, oppido Phócidis, vbi morabatur. vel potius Itys (yos) filius Prognes, quæ Dáulias dicitur ab eodem oppido.

Deionides Milétus Apollinis filius ex Argéa, ſiue Aegéa, vel (iuxta Ouidium) ex Deiõne; quanquám Tzetza Dëiónei filium fuiſſe aſſerit. hic in Aſia vrbem con-

didit

didit, quam Milétum de suo nomine appellauit.
vel Céphalus, Deiónei filius, Aéoli nepos, Prócridis maritus, & adolescens pulcherrimus.

Demetriades Antígonus alter, Demetrij Poliorcétæ filius Macedóniæ Rex.
vel Philippus Demetrij filius, qui Macedoniæ regnum obtinuit; & pater fuit alterius Demetrij. iste in conuiuijs solitus erat mortiferas potiones propinare conuiuis suis.

Democlides vel Démoclis filius, vel nomen proprium.

Demoniades fortasse orti à Demóne, siue sit ille historicus, siue quisquam alius. vel potius nomen proprium.

Demophontidæ Demophontis, seu Demophoontis, Athenarum Regis, posteri.

Demosthenides Demósthenes, summus Græciæ orator, filius Demósthenis Machæropœi (idest gladiorum artificis) & Syntidis.

Deucalionides seu Deucalioniades seu Deucalides } Idoméneus Deucaliónis filius, & Cretensium Dux: ab ijs tamen regno pulsus, quia proprium mactauit filium.
vel Larnax (acis) eiusdem filius, à quo Larnassus dictus fuit mons, qui postea Parnassus à Parnasso Neptuni filio est appellatus.
Potest etiam ita dici Hellen (énis) à quo Græcia, Hellas fuit appellata; vel Amphictyon (onis) & Oréstheus, qui omnes Deucaliónis fuerunt filij: vti & Haemon (onis) à quo Haemónia. Aemon alijs scribitur sine aspiratione.

vel

vel Delphus; qui secundùm aliquos non Neptuni, sed Deucalionis filius fuit, ex Melantho eiusdem filia susceptus; deditq; nomen Delphis vrbi in Boeótia iuxta Parnassum.

Deucalidæ omnes Théssali dicuntur (fuit enim Deucálion Thessaliae Rex) præcipuè verò Deucalionis posteri.

vel Sátyri à Deucalione, siue à Deucalo eius patre, originem trahentes.

Diagorides (vel secunda ob necessitatem producta) Eucles (is, & étis) Callianactis filius, Diágoræ nepos: ex eius enim filia genitus fuit, qui Olympicam coronam reportauit de virorum pugilatu; & ideo statuam meruit apud Eléos.

Diagoridæ (vel secunda ob necessitatem producta) oriundi à Diágora filio Damagéti Rhodij, & nepote Aristómenis, Messeniorum celeberrimi: *Aristomenis* enim filia Diagoræ mater fuit.

Dionysiades *Stáphylus Dionysij*, seu Bacchi filius, pater Rhæûs puellæ, quæ fuit mater Anij.

vel quilibet Bacchi filius. v. Bacchides.

Dolionides dici potest Cyzicus Rex, qui Cyzico insulæ in Propontide nomen dedit: cuius populi nunc Cyziceni, antea Doliones appellabantur; & Doliónia eorum regio.

Draconides seu Draconiades Alexander magnus, Macedonum Rex, ita dictus fortasse à Dracóne, quem eius mater Olympias alebat, qui Alexandro dormienti visus est, radiculam ore ferens. seu melius quia eius mater confessa est Philippo marito, se non ex eo Alexandrum concepisse; sed ex ingentis magnitu-

gnitudinis serpente quodam : quare ab ipso Philippo ante vitæ finem repudiata fuit, vt adultera.

Druidæ | dicebantur Gallorum Sacerdotes, à quercu, seu } qua coronabantur; δρῦς enim græcè quercus
Dryidæ | est. v. Sarónidæ.

Dryantiades Lycurgus Dryantis filius, Thráciæ Rex, Baccho ita infestus, vt vites amputari iusserit.

Dryoniades Prómachus Pellenensis, idest ex vrbe Pelléne, Dryónis filius, qui victor fuit in Olympijs, Isthmijs, & Némeis ludis; & in Olympia Polydamantem Scotussæum (idest è Scotussa, Thessáliæ vrbe) superauit.

Dusiades dicitur I. Dusa, seu Dousa Bátauus, à Dusis trahens originem. vtitur hoc Ios. Scáliger.

Dymantiades *Asius*, Dymantis filius, frater Hécubæ, & Héctoris auunculus, qui Príamo aduersus Græcos auxilium tulit.



E

Echelidæ vicus in Attica, ab Echelo heróe ita dictus.

Echionides Pentheus Echionis Regis Thebarũ, & Agaues filius: qui cum Bacchi orgia contemneret, à Mænadibus, ideſt à Bacchantibus, præſertim verò ab ipſa matre, vna ex illis, fuit dilaceratus.

Echionidæ dicti ſunt Thebani, nam Echion vnus illorum fuit, quorum operâ adiutus Cadmus Thebas ædificauit.

Eetionides vel Eetides } quilibet ex filijs Eetionis, Thebarum Ciliciarum Regis, & patris Andrómaches, quæ habuit ſeptem fratres, omnes vno die ab Achille occiſos.

Ita etiam poteſt appellari Cypſelus alterius Eetiónis, ab Echécrate geniti, filius, & Melánis nepos, Corinthiorum tyrannus, & pater Periandri. ita dictus, quia Labda eius mater, ne eum occiderent, abdidit in cypſela, ideſt in menſura frumentaria.

Elarides vel Ellarides. } dici poteſt Titius gigas, Iouis, & Elaræ filius, quem Tellus nutriuit. hic ob temerariam libidinem apud inferos acriter punitur, cum illius iecur immortale rodat perpetuò vultur.

Elatides ſiue Ellatides vel Elationides } Polyphémus filius Elatæ, & Stilles nymphę. vel Caéneus Elati filius, qui ex fœmina in virum eſt tranformatus; & poſt mortem in Caénidem àuem.

vel Ischys (yos, & yis) Cyllen (énis) Aépytus, Stymphálus, Péreus, Elati, siue Elatíonis, Regis Arcádiæ, filij.

Eleazarides Phínees, seu Phíneus, Eleázari filius, Aarónis nepos, qui Zimbri Mœchum Israëlítam occidit.

Electryonidæ dicuntur filij Electryónis, patris Alcménæ, qui vna cum patre à Telébois populis in quadam pugna occisi sunt. secunda syllaba ab Apollonio Rhodio corripitur. v. Electryónis:

Eliades quilibet Carmelíta, seu religiosus Carmelitánæ familiæ, ab Elía prophéta originem trahens.

Eliadæ dicuntur Eléi, idest Elidis regionis, & vrbis, populi propè Olympiam in Peloponnéso.

Elisiadæ dici possunt omnes Siculi (ab Elisa enim homine gigante condita sunt multa eorum oppida) præsertim verò Panormitani, qui eum Panormi conditorem agnoscunt.

Emathioniadæ vel Emathidæ dici possunt Macédones ab Emathióne eorum Rege, à quo Emáthia dicta est Macedónia.

Emiadæ vel Emimeidæ seu Emimeidæ gigantes ita dicti, quia Emim fuit populus staturæ tam excelsæ, vt de Enacim stirpe crederentur illi homínes.

Emmenidæ familia Therónis in vrbe Siciliæ Agrigento, Theron enim Agrigenti tyrannus, & Xenócrates frater, ab Emmenide, & Xenódico Telémachi filijs genus trahebant. nam Telemachus postquàm Phá-

qui-

larin Agrigentinorum tyrannum deuicit, genuit Emmeniden, cuius filius fuit Ænesidámus, ex quo nati sunt Theron, & Xenócrates. Theron autem genuit Thrasidæum; Xenocrates verò Thrasibûlum. at Xenódicus genuit Hippócratem, & Capyn; quos Theron expulit è regno. Pindari scholiastes ode 3. Olymp. & 6. Pythiorum.

Enacides (prima ob necessitatem producta) Og, siue Ogus, Rex Basan, & gigas.

Enacidæ dicuntur gigantes ab Enac, qui gigantum pater fuit. eius filij fuerunt Achiman, Thólmais, Sísais.

Endymioniades Paeon (onis) (à quo Paeónia) Epêus, & Aetólus (à quo Aetólia denominata) Endymiónis filij ex Asteródia, vel Chrómia, vel Hyperippe secundùm alios.

vel Elêus ex Eurycyda Endymionis filia, genitus; à quo dicti sunt Elei populi.

Enopides Satnius Troianus, Enopis filius, ab Aiáce Oíleo vulneratus, vel Thestor (oris) Enopis etiam filius.

Enochides Mathúsalem, seu Mathúsala filius Enoch, qui aetate cunctos homines superauit: vixit enim annos 969.

Ephraides filius, seu posterus quilibet Ephraim, qui fuit filius secundus Ioseph, à quo nominata est Tribus Ephraim.

Sic etiam dici posset quilibet Israëlíta ex ea tribu: inter quos fuit Osee, seu Iosue, filius Nun. vel quilibet filius Ioseph Patriarchae, ita dictus à monte Ephraim, quem omnes illi possederunt.

Epimethides fortasse Deucálion, nepos Epiméthei ex fratre: fuit enim Epimétheus, frater Prométhei, & hic pater Deucaliónis.

Epopides Márathon (ónis) Epópei filius.

Epytides Périphas (antis) *Epyti* filius, & custos Iulij Ascanij in classe Aenéæ.

Erechthides seu Erichthídes | Cecrops minor (fuit enim ante hunc Cecrops alter) *Eréchthei*, Regis Athenarum, filius ex Praxíthea, Pandionis prioris nepos.
vel Orneus, ac Théspius, illius etiam filij.
vel Daédalus, qui, iuxta Pherecyden, fuit Eréchthei, & Iphínoës filius.
vel Pandíon *Eréchthei* prónepos; fuit enim filius Aégei, Pandíonis filij: quanquàm Aégeus post demersionem, *Neptuni* filius fuit appellatus.

Erechthidæ dicuntur Athenienses omnes ab Eréchtheo Athenarum Rege.

Erymanthiades potest intelligi Télephus, Herculis filius ex Auge Nympha, qui aui iussu expositus est in silua Erymanthi, qui locus est iuxta Parthénios agros in Arcadia.

Esaydes Elíphas, siue Elíphaz, filius *Esau*.
vel Iob, qui ex *Esau* stirpe descendit: fuit enim filius Zara, nepotis *Esau*.

Eteobutadae fuêre nobiles quidam *Athénis*, quorum familia à Bute Sacerdote duxit originem; & ex hac familia Sacerdotes constituebantur. ita dicti à Bute, & ἐτεός, idest verus.

Etrácides v. Atracides: sic enim est corrigendum Ouidij carmen in Ibin.

Euæmonides Eurypylus, *Euaémonis filius*, qui cum arcam, in qua Bacchi simulacrum condebatur, fortè repertam aperuisset, statim insania laborare coepit.

Eucratides Proclus Carthaginiensis, Eúcratis filius.

Euenorides Liócritus *Euénoris filius*.
vel Parrhásius, pictor egregius, *Euynoris filius*.

Euerides Tirésias (ae) vates Thebánus, *Eueri filius*, qui cùm duos angues, fortè coëuntes, virgâ percussisset, in foeminam fuit conuersus: sed post septem annos in pristinum statum reuersus est, eosdem serpentes percutiendo: à Iunone tandem fuit excaecatus ob sententiam latam contra ipsam.

Euesperidae Libyæ populi iuxta Barcam vrbem.

Euménidæ v. Emmenidæ.

Eumolpides Immáradus, *Eumolpi filius*, ex Eponymórum tribu Atheniensi.
vel Ceryx (ycis) eiusdem filius, natu minimus.

Eumolpidæ vel *Eumolpiadæ* Sacerdotes Céreris, seu magistratus Athenis, ita dicti in memoriam, & honorem Eumolpi Athenarum Regis, qui primus illa sacra celebrauit. vel ab umolpo Musæi poëtæ filio, seu patre (vt alijs placet) quare secundùm hos, Musaeus ipse Eumólpides dici posset.

Eunomides Lycurgus *Eunomi filius*, Lacedæmoniorum legislator, ex Proclidarum stirpe.

Euphorioniades Aéschylus, trágicus poëta inter Græcos, *Euphoriónis filius*.

Euphronides Mnesarchus *Euphronis filius*, Hippasi nepos.
vel Pythágoras Mnesarchi filius, *Eúphronis nepos*.

Eurotiades Lacedaemon (onis(qui, vt ait Pausánias, fuit Eurótæ Regis filius, & Lacedaémonem, seu Spartam condidit. Sparta enim dicebatur eius vxor.

Eurydamantiades Inachus, Eurydamantis, & Dórycles Nymphæ filius, primus Argiuorum Rex: quem Hesiodus Oénei filium fuisse affirmat.

Eurymedontiades Speusippus Philosophus Atheniensis, Eurymedontis filius, & Platónis nepos ex eius sorore Potóna: qui scholæ Platónicæ octo annos præfuit.

Eurymides Télemus Eúrymi filius, & inter Cyclópes, egregius vates.

Eurypontides Prytanis (idis) Eurypontis filius.

Eurypontidæ Lacónum familia, eorum, qui primùm Proclídæ à Procle, deinde Eurypóntidæ ab Eurypontc, Proclis nepote, sunt cognominati; vel Eury tiónidæ, vt ait Plutarchus.

Eurysthenidæ Regum familia apud Lacedæmonios: ita dictá ab Eurysthene, qui fuit filius Aristodémi (vnius Heraclidarum) sicut & Procles. vel ipsi Lacedæmonij quorum Rex, & legislator fuit Eurysthenes.

Eurytides Híppasus Eúryti filius, & vnus ex venatoribus apri Calydonij.

vel Thalpius Euryti ex Theráphone filius.

vel Tóxeus Iöles frater, Déion (onis) & Clytius eiusdem filij.

vel Iphitus Eúryti, Oechálıæ Regis, filius, quem Hercules, occiso patre, è turri præcipitauit.

Eurytionidæ omnes illi ex família Eurytiónis, Spartanorum Regis, qui antea dicti fuerunt Proclídæ.

Euxenides Sógenes Ægineta Theariónis filius, & quinquertij victor, à quodam Eúxeno, vno ex maioribus

suis

ſuis trahens originem. à quo etiam dicti ſunt Euxenidæ omnes ex ea familia in Ægina.

F

Ferguſiadæ Reges, forſan ex familia Ferguſiorum?

Fernandiades Aloyſius Gōzága (Ludouicus, ſeu Lodoícus aliàs appellatus) Ferdinandi, ſeu Fernandi Gonzagæ filius (Italicè dictus Ferrante) cuius pater fuit Marchio Caſtelliónis in Italia; filius verò eſt vnus ex Beatis Societatis Ieſu.



G

Gangaridæ populi inter Assyrios, & Indos iuxta Gangem Indiæ fluuium ; à fluminis nomine ita dicti : vel quia Gange est vrbs regia Indiæ.

Gargaridæ Mysi populi dici possunt, qui iuxta Gárgarum, seu Gárgara (órum) montis Idæ cacumen habitant.

Gedeoniades Abimelech Gedeónis, quarti Hebræorum Iudicis, filius: qui fratribus cæsis tyrannidem occupauit, ac tandem occisus est.
vel Abidan Gedeónis filius, qui fuit princeps tribus Beniamínæ.

Gobryades Mardonius Góbryæ filius, Xerxis copiarum præfectus.

Gordiades seu Gordyades } Midas (æ) Gordij, seu Gordyæ bubulci filius, Rex Phrygiæ ditissimus, qui à Baccho impetrauit, vt quidquid attingeret, in aurum verteretur: sed ab Apolline in eum indignato asininas aures accepit.



H

Hadriades Iŏnius natione Illyrius, filius Hadrij, & Rex illarum regionum, qui nomen fecit Ionio mari (quod est pars inferior Adriatici) & vrbem condidit Hádriam, hodie Atri.

Hæmonides Maeon (onis (Haémonis filius. vel Théſsalus (vnde Theſsália) eiuſdem filius.

Hæmonidæ Théſsali omnes. Hæmónia enim, ſiue Aemónia, Theſsalia dicitur. v. Aemonidae.

Hagárides v. Agarides.

Hagniades v. Agniades.

Halcyonidæ (vel ſecunda ob neceſſitatem producta) dicuntur quatuordecim dies, qui etiam appellantur Halcyonij, cum Halcyones aues oua pariunt, menſe ſcilicet Nouembri, ferè ſemper ſereni.

Halyattiades Croeſus Lydiorum Rex ditiſsimus, Halyattae filius.

Háranides v. Araniades.

Harmonides Phéreclus Troianus, faber peritiſſimus, Hármonis filius: qui à Minerua obtinuit, vt nihil ſe lateret, quod arte fabrili effici poſſet. hinc eximius Rhetor, qui omne orationis genus concinnare ſciat, à Tzetza Harmonides appellatur. nonnullis tamen videtur nomen proprium.

Harpagides filius Hárpagi (qui Harpagus fuit Cyri Regis familiaris) cuius puer, tredecim annos natus, Aſtyagis iuſſu patri comedendus appoſitus eſt inter epulas, vt olim Thyeſtæ filij.

Haſtilides Hagnon (ónis) Bœotius Háſtili filius.

Hectorides Astyanax (actis) Héctoris filius vnicus ex Andromacha, qui antea dicebatur Scamander. dictus est autem à populo Troiano in gratiam Hectoris Astyanax, quasi vrbis tutor, seu Rex. ἄςυ enim est vrbs; ἄναξ verò rex: hic ab Vlysse post Troiæ excidium ex alta turri Scaeæ, Troianæ portæ, præcipitatus est.

Hectoridæ dici possunt Troiani omnes ab Hectore, Príami filio, Troianorum fortissimo. qui ab Achille occisus fuit.

Hegesistratides Demócritus Philosophus Abderítes, filius Hegesístrati, Leucippi discipulus, qui vana omnia, aduersamque fortunam deridebat.

Helciades Ieremías propheta, filius Helcíæ.

Heliades Pháëthon (ontis) Solis filius, qui fulmine à Ioue ictus, dum currum solarem malè regeret, in Padum (hodie il Pò) Italiæ fluuium décidit. ita dictus quia Sol græcè dicitur ἥλιος.

vel Perses, seu Persa (æ) Solis filius, & Tâuricæ regionis Rex.

vel Aétes, seu Æeta (æ) Solis etiam filius, Colchorum Rex, Medéæ pater.

vel Augéas, siue Augías, siue Aúgias Rex Elidis, filius Solis, & Naupídames: cuius stabulum Hercules repurgauit.

Inter Solis filios numerantur septem, quos illi peperit Rhodos nympha, nimirum, Cércaphus, Actis (idis) Macáreus (alijs Macar, aris) Ténages, Tríopas, Ochimus, Pháëthon, natu minimus. Scholiastes Píndari ode 7. Olymp. epod. 4. Phaëthon autem alijs dicitur Clymenes filius.

Heliades ab Helía v. Eliades.

Heliades Diuus Ioseph, qui dicebatur filius Heli, cum re-

re vera esset filius Iacob, qui fuit frater Heli.

Heliadæ dicuntur duo filij Heli, nempe Ophni, & Phinees, Sacerdotes Domini.

Hemmorides Sichem, seu Sychem filius Hemmor, siue Hemor, qui ob violatam Dinam filiam Iacob, & Liæ, fuit vnà cum patre occisus à Simeóne, & Leui fratribus puellæ.

Heraclides dicitur quilibet Herculis filius, præsertim verò illi, qui ex Hercule, & Iandáne ancilla geniti sunt. est etiam nomen proprium Sophistæ cuiusdam.

Heraclidæ dicuntur omnes, qui ab Hercule orti sunt, seu duxerunt originem: ex quibus fuerunt olim Reges Messeniorum, vti Cresphontes; & Argórum, vti Témenus, & Lacónum, vti Procles, & Euristhenes. ita appellati quia Hercules græcè ἡρακλῆς dicitur.

Iam Herculis filij plures fuêre: nam quatuor nati sunt ex Mégara (alijs Mégera) Creontis filia, idest Therímachus, Creontiades, Déicoon (ontis) Dëíon (onis) quibus alij addunt quatuor alios (octo enim fuisse dicunt) ij sunt Antímachus, Clymenus, Aristodémus, Glanus: licèt aliter alij sentiant quo ad nomina. quos octo, vel quatuor Hercules furore correptus in ignem coniecit.

Rursum Æchmágoras ex Philóne, Alcimedontis, Heróis Arcadis, filia. hic Aechmagoras Tirynthi mœnia extruxit.

Post mortem verò Herculis superstites fuerunt Heraclídæ, idest eius multi filij, & nepotes. inter quos quidem filios refertur Afer, à quo vocata est Africa.

Et Acelus ex Málide serua Omphâles, à quo Acela Lyciæ vrbs.

Et Bentus, à quo Bentesium, & postea Brundusium nominatum.

Et Lamius ex Omphále Regina Lydiæ.

Et Camírus ex Iöle, à quo Camírus Rhodi vrbs, postea Rhodos etiam appellata. verùm alijs Camíri pater est Cércaphus, Solis filius.

Et Lydus ex Omphále, à quo Maeónia dicta est Lydia. verùm alijs dicitur Herculis nepos, nam Atyis filium faciunt, qui fuit filius Herculis.

Et Hyllus ex Mélite, seu Mélita nympha, Ægæi fluminis filia: à qua insulæ, & vrbi Mélitæ nomen datum.

Et Scythes è muliere semiuipera, à quo nomen factum Scythiæ.

Et Télephus Mysiæ (quæ est regio Asiæ minoris) Rex ex Agáue nympha, qui ab Achillis hasta vulneratus, & ab eadem sanatus fuit.

Et Sardus, à quo vocata est Sardínia, antea dicta Ichnûsa, quia similitudinem habet sóleæ, seu vestigij, quod græcè dicitur ἴχνος.

Et Olynthus, qui nomen indidit Olynthiæ, siue Olyntho, Thráciæ vrbi, à se extructæ.

Et Tlepólemus ex Astyochía, siue Astyochéa, aut Astyoche.

Et Antíochus ex Meda. & Tyrrhénus ex Lyda. & Hyllus alter, siue Hylus ex Deianíra. & Bœus, & Echephron (onis).

Et Prómachus è Sóphide puella Sicána, Erycis Sicániæ principis filia.

Et nouem alij filij ex Astydamía Ormeni filia.

Et Macária ex Deianíra, à qua dicta fuit Macária insula, hodie Cyprus. &c.

Et *Aristómachus*, qui cécidit in prælio, quod Atreus cum Heraclídis gessit. hic Aristomachus pater fuit Téméni, Cresphontis, & Aristodémi.

Ex his autem alij fuêre Corinthij *Reges*, vt Alétes, Ixíon (onis) *Ageláus*, Prymius, Archías Syracusarũ conditor. Alij verò Lydij Reges, vt Argon (ónis) primus Sardium Rex, *Ardisus*, Alyattes, Meles, Candaules. Alij demum Lacedæmonij Reges, vt *Eurysthenes (is)* Procles (is) filius *Aristodémi*, Agis (idis) Söus, Echéstratus, *Eú ypon* (ontis) Labótas (æ) Prítanis (idis) Doryssus, Eúnomus, Agesiláus, Polydectus, Archeláus, Charyllus, &c.

Hermocratides *Dionysius* maior, Syracusanorum tyrannus, Hermócratis filius.

Hes ydes v. *Esaydes*.

Hesychidae dicti sunt Euménidum, siue Erínnyum Sacerdotes, qui noctis tempore taciti earum sacrificia peragebant. íta dicti ab Hésycho heróë, cui ante quám illis sacrificarent, aríetem immolabant.

Hicetaonides Melanippus Hicetáonis filius.

Himeridae dici possunt Thermitáni, qui olim Hímerenses dicebantur ab Hímera ipsorum fluuio in Sicilia: cuias fuit Stesíchorus poëta lyricus.

Hippocoontides seu Hippocoontiades } Euméde Hippocoontis filius, qui Sacerdos Mineruæ fuit.

vel *Eraésimus*, *Alcon* (ónis) & Dexippus eiusdem filij; omnes vnà cum patre ab Hercule occisi, cum prius ipsi Herculem vulnerassent.

vel *Alcimus*, *Enaraéphorus*, Dórceus, Sebrus eiusdem etiam filij.

Hip-

Hippomedontiades Polydórus, Hippomedontis filius,

Hippotades *Aéolus*, Rex ventorum, Híppotæ filius, Mimantis nepos, *Aeoli* maioris (qui Hellénis, ſeu Iouis filius erat) prónepos: cuius mater Ménecla dicebatur Hylli Liparenſis filia) vel ſecundùm alios Melanippe. ſunt, qui hunc Aeolum Iouis filium fuiſſe ex Aceſta, Híppotæ Troiani filia, ſcribunt.
vel Boeótus Æoli frater, & eodem partu editus.
vel Alétes (æ) Hippotæ filius, Phylantis nepos, Antíochi prónepos, Herculis ábnepos, & dux olim exercitus Dorienſium contra Corinthum: vbi tandem regnauit ipſe, ſuiq;poſteri, quorũ vltimus fuit Teleſtes.
vel Aépytus Arcas, qui ob violatam religionem excæcatus fuit.

Hirtácides v, Hyrtacides.

Homerides Homéri filius, vti Sériphon (ontis) & Theoláus, ex Eurydice Gnóſtoris, ſeu Páſtoris filia.

Homeridæ dicuntur omnes illi, qui per ſucceſſionem ab Homero genus deducentes, canebant Homérica, quæ familia in Chio inſula floruit.& in hoc ſignificatu Homeridæ appellari veriùs debent, vt notatur in theſauro græco. Homeridæ etiam dicuntur omnes imitatores Homeri, eiuſque dogmata ſequentes.
vel Rapsódi, ideſt conſutores, qui ſcilicet centónem conſuebant ex Homericis carminibus: quæ poëmata dicebantur Homericentónes.

Honoriades Honorij, Romanorum Imperatoris, & Mariæ filius; qui futurus fuiſſet, ſi liberos ex coniuge ſuſcepiſſet. ſed is ſine ſobole deceſſit vitâ.

Hyagnidides Márſyas (æ) ſeu Marſya Phrygius, tibícen inſignis; imò & tibiarum inuentor, Hyágnidis filius, qui cum Apolline cantu certans,ab eo victus, & excoriatus, ad pinum ſuſpenſus eſt. Hy-

Hylacides Castor (sed non ille Pollûcis frater) Hylaci filius.

Hyllidæ Lacedæmonij, ita dicti ab Hyllo Herculis filio. vel potius Dorienses ; fuit enim Hyllus Doriensium clarissimus. Pindari Scholiastes ode 1. Pythior.

Hyperionides vel Hyperides	Sol, qui Hyperíonis filius dicitur (Hyperionem autem Terræ, & Cæli, seu Titánis filium faciunt) imò Hyperíon ip-

se vsurpatur pro Sole apud poëtas;& tunc est patronymicum Iönicum, sed per Syncopen; legitimum enim esset Hyperionion.

vel Aeétes, siue Aeéta Rex Colchórum, Solis filius ex Persa, seu Perséide Océani filia ; Medéæ pater, nepos autem Hyperíonis, qui fuit pater Solis.

Hypirochides Itymóneus Hypírochi filius,

Hyrrhiades Píttacus vnus è septem Græciæ sapientibus, Hyrrhæ, seu Hyrrhadij filius, & genere Thrax; Hyrrhas autem fuit Rex Mitylenæorum. Hyrrhadius verò significat potius ipsum Pittacum filium, cum sit patronymicum Aeolicum, formatum ab Hyrrha, quod est verum nomen patris Pittaci.

Hyrtacides Nisus Troianus, Hyrtaci filius, & Euryali amicus.

vel Hippócoon (ontis) filius Hyrtaci. vel Asius eiusdem filius.

Hystaspides vel Hystaspiades	Daríus maior, Rex Persárum, filius Hystaspæ, siue Hystaspis, pater Xerxis.
Hystaspidæ seu Hystaspiadæ	dicuntur Persæ, ab Hystaspe eorum Rege.

I

Iabidæ vel Iābidæ | Populi habitatores Iabes, quæ est vrbs Gálaad, regionis Galilææ. hi autem sepelierunt corpus Sâûlis Regis, & eius filiorum in nemore.

Iairides vel Iāirides | Mardochæus ita dictus à patre Iaio, seu Iairo, patruus, & nutricius Esther, filiæ fratris sui.

Iămidæ dicuntur Iămi nepotes, seu posteri, qui diuinandi arte insignes fuêre. Iămus enim Apollinis, & Euadnes filius, diuinationis donum accepit. inter hos numeratur Tisámenus pater Agélochi, auus Agiæ.

Iāpetionides vel Iapetides | quilibet filius Iápeti, seu Iapetionis gigantis: inter quos fuit Prométheus, Atlas, Hésperus, Epimétheus, & cæteri eius filij ex Asia nympha; vel secundùm alios, ex Clymene.

vel Lesbus eiusdem filius, à quo nomen insulæ datum. Atque hîc aduerto mihi non probari sententiam eorum, qui Iapetionídes metiuntur per dactylum, & molossum, idest tres vltimas longas: nam apud Apollonium Rhod. habet omicròn in antepenultima, & iota in penultima (vt etiam apud Hesíodum) sic.

Ἰαπετιονίδης ἀγαθὸν τέκε Δευκαλίωνα.

Iaphetides vel Iāphetides | Iauan (à quo Græci, qui & Iónes) & Thubal, & alij quinque. Gen. cap. 10.

Iaphetidæ dici possunt Europæi à Iaphet Nóëmi filio, cui

in

in terrarum diuiſione Európa obtigit.

Iăpidæ vel Iapidæ } ſunt populi Italiæ in ea parte, quæ Timáuo fluuio irrigatur: quæ etiam dicitur Iapídia. eam enim condidit Iapis (idis) quidam, nobilis Ae-tólus.

Iărides Enoch filius Iared, qui raptus fuit à Deo ante mortem.

Iaſides Dánaus ita dictus à Iaſio Argiuorum Rege, à quo duxit originem.

vel Palinûrus Iaſij filius, Aenéæ claſſis gubernator, qui decidens in mare Italicum, Lucániæ promontorio nomen dedit.

vel Iapis (idis) eiuſdem filius, augur, citharœdus, & medicus Apollini dilectus.

Iasidæ vocari poſſunt omnes Argiui, à Iaſio Rege: ſicuti dicuntur Danáidæ à Dánao.

Iăſides Cépheus Iăſi filius, in aſtra relatus, antea verò Æthíopum Rex.

Iăsionides vel Iăsioniades } dici poteſt Plutus, apud Ethnicos diuitiarum Deus, Iaſiónis, ſiue Iaſij filius ex Cérere. hunc cæcum fuiſſe dixerunt, & claudum in aduentu; in receſſu verò alatum.

Iăſonides vel Iaſonides } Thoas (antis) & Philomélus, filij Iáſonis ex Hypsípyle Lemni Regina, Thoantis Regis filia. vel Eúneus eorumdem filius: ſeu iuxtà alios Iaſonis nepos ex eius filia Atalanta.

vel Mórmorus, ſeu Mérmerus, & Pheres (étis) Iaſonis ex Medéa filij: quos mater in patris odium diſcerpſit.

vel ſecundùm alios Medus, & Polyxenus Iáſonis ex Medéa filij. quanquàm Medus non Iaſonis; ſed Aégei,

& Medéæ filius fuiſſe perhibetur:
vel Parus eiuſdem filius, à quo nomen habuit Paros, inſula maris Aegæi, vna Cycladum; vbi marmor candidum proueniebat, párium ab ea appellatum.
vel Théſſalus eiuſdem ex Medea filius, qui Theſſaliæ nomen dedit (vt aliqui cenſent) & apud Iolcum, Iaſonis patriam, regnauit.

Iauanides vel Iäuanides | Eliſa gigas (à quo Siculi) & Tharſis (à quo Ibéri, & Tharſus Cilíciæ vrbs) & Cethim, (à quo Romani, & Latini) filij Iauan, qui filius fuit Iaphet, filij Noë.

Idmonides Theſtor (oris) Idmonis, & Laóthoës filius, pater Calchantis áuguris.

Iephonides Caleb, ſeu Cálebus, Iephone filius.

Ieſſeides vel Ieſſiades ſeu Ieſſides | Dauid filius Iſai, quem Græci Ieſſe vocant; Rex Iudææ potentiſſimus, idemque Propheta; qui Góliath gigantem lapidis iactu proſtrauit, ac deinde ipſius met gladio obtruncauit.
vel Ieſus Chriſtus à Dauid Rege originem ducens.

Ieromides Hélcana Iéromæ filius, Samuélis pater.

Ieſuidæ vel Ieſuidæ | dicuntur Ieſuítæ, religioſi Societatis Ieſu: qui ab alijs Ieſuadæ item appellantur.

Ignatiadæ ijdem, ita dicti à Diuo Ignatio, eorum conditore.

Ilatides pro Elatides, v. Elatides.

Iliades Rómulus, aut Remus, fratres gemini, quorum mater Ilia dicebatur, alijs Rhea Siluia.

vel

vel Laómedon (ontis) *Ili* Troianorum Regis filius.

vel Ganymédes Phrygius (*Iouis* pincerna, eique dilectus) frater *Ili*, (à quo *Ilium* est cognominatum) & filius Trois.

vel Asáracus tertius *Ili* frater, filius item Trois, auus Anchísæ, pater Cápyos.

Iliadae dici possunt Troiani omnes ab *Ilio*, præcipuo Troiæ oppido: vel ab *Ilo* prædicto.

Imbrasides *Iasius*, seu Arsius, filius *Imbrasi*, ita dicti ab *Imbraso*, Sami insulæ fluuio.

Imbrasidę dicuntur Glaucus, & Lades, *Imbrasi* filij, quos pater in *Lycia* nutriuerat: eos autem Turnus occidit.

Inachides Phoróneus filius Inachi fluuij, per agrum Argiuum labentis.

vel Linus Apollinis, & Terpsíchores; seu Mercurij, & Vránię filius, Musę Lyricæ peritissimus, magister Orphei, Thámyræ, & Herculis. ita dictus quia fuit Argiuus.

vel Pérseus item Argiuus. v. Abantiades.

vel Epaphus *Iouis* ex *Iside*, siue *Iō*, filius, qui Memphim in Ægypto condidit: *Iō* autem fuit Inachi filia.

Inachidæ dicuntur *Inachi*, Argiuorum *Regis*, successores, & posteri; idest Phoróneus, Apis (idis) Argus Crialus, Phorbas (antis) Triopas, Crotópus, Sthénelus qui fuit vltimus Inachidarum.

Ita etiam dicuntur Argiui ab *Inacho* primo ipsorum Rege.

Ioïades Gédeon (ónis) Ioa natus, Iudex, & Dux Israëlitarum.

Iphiclides Iolàus Iphicli, siue Iphiclis filius, Herculis nepos, ex fratre eius Iphiclo. qui quidem Iolaus Her-

culi hydram interficienti affuit, ferroque candente vrens recisa capita, cohibuit, ne suppullularent.

vel Protesiláus eiusdem filius, vnus è Græciæ Principibus, ad Ilij expugnationem profectis, qui primus omnium ab Héctore fuit occisus, vt oraculo proditum erat. v. Phylacides.

Iphitides Caétanus, Iphiti filius.

vel Schedius eiusdem filius, Phocensium Rex, qui ab Héctore occisus est.

Iphistiadæ Atheniensium gens, fortasse ab Iphiste trahens originem.

Iresidæ populi, seu vicus in tribu Acamantide, ita dicti fortasse ab Ireso, siue Iresio.

Isaides Dauid filius Isai. v. Iesseides.

Isacides Iacob filius Isaac, siue Isac: qui postea dictus est Israël, pater Iosèphi venditi à fratribus.

vel Esau eius frater; qui gemini nati sunt ex Rebecca.

Isacidæ natus, dicitur Ioseph Patriarcha, & quilibet ex filijs Iacob, aliàs Israël, qui fuerunt duodecim, nempe ex Lia Labáni filia, sorore Rachélis, Ruben primogenitus, Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Zábulon. ex Bala ancilla Rachelis, Dan, & Néphthali.

E Zelpha ancilla Liæ, Gad, & Aser.

Ex Rachéle Labáni filia minore, Ioseph, & Béniamin.

Isacides pastor, dicitur Moses.

Isacides vates, seu Iessiades cantor, dicitur Dauid.

Isacidæ dicuntur Hebræi, ab Isac originem ducentes.

Isarides Core, filius Isaar.

Ismarides quilibet Thrax, seu Turca, qui Thráciam habet, ita dictus ab Ismaro Thraciæ monte.

Iſmenidæ Thebani omnes, ita dicti ab *Iſméno* Bœótiæ fluuio,

Italides (vel prima ob neceſſitatem producta) Siculus (nomen proprium) Itali filius, vel frater, qui ex Italia pulſus, in proximam traiecit inſulam, quam olim Cyclópes tenuerant, tum verò Sicáni incolebant; & à Siculo Rege, Sicília, fuit appellata.

Italidae dicuntur Itali omnes, ab Italo Siculorum Rege, qui agriculturam Italos docuit.
Ita etiam dici poſſunt omnes Siculi per appoſitum, v.g. Italidæ Siculi &c.

Itonides vel Itoniades } Boeótus (à quo Boeótia eſt appellata) Itóni, & Melanippes filius, Amphictyonis nepos: Amphíctyon enim fuit Boeóti pater.

Ixionides Pirithous filius Ixíonis ex Dia, & *Lapitharum*, Theſsaliae populorum, Rex, Theſei familiariſſimus.
vel Aſtylus eiuſdem filius, diuinandi peritia clarus.

Ixionidae Centauri, filij Ixíonis, & nubis cuiuſdam, ſub imagine Iunonis. habebant autem omnes iſti membra partim humana, partim equina. inter hos præcipuè nominatur Pholus (qui Herculem hoſpitio excepit) & *A*mycus: tametſi alij hunc Ophíonis filium fuiſſe dicunt.



La-

L

Labdacides Laius, filius Lábdaci, Regis Thebanorum, & pater Oédipi, à filio per imprudentiam occisus. vel ipse Oédipus Labdaci nepos, qui Sphingis ænigma soluit; & Colóneus postea dictus, quia in Colónum, editum propè Athenas locum, à semet cæcatus exulauit.

Labdacidæ posteri omnes Lábdaci: inter quos fuit Melissus Thebanus victor in Isthmijs: & Cleonymidæ Melissi huius cognati. Pindar. ode 3. & 4. Isthmior. vel omnes Thebani, à Labdaco eorum Rege.

Lacedæmonides Amyclas (æ) siue Amyclus Cretensis, Lacedæmonis filius, Hyacinthi pater.

Lacedæmonidę suntLacedaémonis (cuius vxor fuit Sparta) Lacedæmoniorum, seu Spartanorum Regis successores, & posteri: ideſt Amyclas, Argalus, Cynortas (æ) Oebalus, Tyndáreus, Castor, & Pollux fratres, Meneláus, Orestes, Tisámenus.

Lacidæ curia, seu familia eorum, qui à Lacio sunt cognominati.

Laërtiades seu Lartiades per syncopen } Vlysses Laërtæ filius ex Anticléa, Rex Ithacæ, & Dulichij, insularum in mari Iónio.

Lagides seu Lagoiades } Ptolemæus Lagi filius ex Berenı́ce, & Ægypti Rex: qui Soter (éris) ideſt Saluator à Rhodijs fuit cognominatus.

Lagidæ Ægyptij Reges à Lago etiam Rege, & patre Ptolemæi

lemaei oriundi.inter quos Ptolemæus Philométor(per antíphrasin,non enim amatus, sed odio habitus à matre fuit)& Ptolemæus Philadelphus, idest, amicus fratris,&c. Lagidæ etiam appellari possunt ipsi Aegyptij.

Laiades Oedipus(i, vel odis) Laij Thebanorum Regis filius, quem ipse Oedipus interfecit, ignorans esse parentem suum.

Lamechides seu Lamechiades } Noë, Lamech posterioris filius, Mathúsalem nepos, Enoch prónepos, Hebræorum ductor, & prodigiorum operator: qui Arcam à se fabricatam ingressus cum vxore, ac tribus filijs, totidemque nuribus, mundum aquis diluuij demersum reparauit.

vel Iabel, & Iubal, Lamech prioris filij ex *Ada*, & Mathusaélis nepotes. Iabel pastor fuit, imò pastorum, atque habitantium in tentorijs pater. Iubal fuit citharœdus, imò pater canentium cíthara, & organo.

vel Tubálcaim eiusdem Lamech filius ex Sella, qui fuit primus faber æris, & ferri.

Lampetides Dolops (opis) alter, Lámpeti filius. Lámpetus autem per syncopen Lampus etiam dicitur.

Lamponiades Pytheas Lampónis filius, qui Pancratiastes fuit, & adhuc *impúbes*, victor ex Pancratio redijt. vel Phylácidas (æ) Æginéta, eiusdem filius, natu minimus, qui Nemeoníces, & Isthmioníces fuit,

Lampsacides Priápus Bacchi, & Veneris filius, hortorum Deus apud veteres. ita dictus à Lámpsaco Tróadis vrbe, vbi natus creditur.

Laomedontiades Príamus filius Laomedontis, Regis Troiæ, antea Podarces (æ) dictus: qui occiso Laomedonte regnum accepit ab Hercule, illudque quadraginta tenuit annos.

vel

vel Teucer (cri) filius Telamónis, Regis insulæ Salaminis, ex Hesíone filia *Laomedontis*.

Laomedontiadae Troiani omnes à *Laomedonte* eorum Rege, qui perfidus fuit, fraudans pacta mercede Neptunum, & Apollinem, qui Pérgama construxerant.

Larides Dáucia, & Thymber (bri) fratres gemini, *Lari* filij, & à Pallante in aruis Rútulis occisi. verùm alij dicunt *Lariden* esse nomen proprium, eumque, & Thymbrum fratrem filios esse Dauci.

Larides Diuus Marcus vnus ex quatuor Euangelij scriptoribus: ita dictus à patre *Lário*.

Latoides vel *Latonides* (formatur enim à genitiuo λητόος) Apollo, Iouis, & *Latónae* filius, qui dicitur etiam Latonígena.

vel *Byzes* Naxius, & architectus, *Latonae* forsitan de genere; vel quia illi templum aliquod dedicauit.

Leodamantides seu *Liodamantiades* Phálaris (idis) Tyrannus *Agrigentinorum*, *Leodamantis* filius ex *Astypaléa* vrbe iuxta Cretam. quanquàm alij ex Astypaléa Sami vrbe natum perhibent.

Leoprepides dicitur Simónides (is) poëta Græcus, & lyricus, patriâ Ceus, *Leóprepis* filius.

Lesbiades dici posset Alcaeus poëta lyricus inter Græcos. vel Theophrastus auditor Platónis, & Aristótelis: ambo in *Lesbo* insula nati.

Leuiades Gerson, Mérari, & Caath, *Leui* filij. Caath verò fuit pater Amram, auus *Mosis*.
vel Melchi, qui (vt ait D. Damascénus) fuit filius *Leui* (alterius ab illo superiore) ac frater Panthéris. vel D. Ioseph filius Heli, nepos Melchi, prónepos

Leui. quanquàm (vt ſcribit D. Lucas) Mathat fuit filius Leui, qui fuit filius Melchi.

Leuiadae qui oriuntur ex tribu Leui, inter quos fuit Moſes.
vel duo filij Heli Sacerdotis, nempe Ophni, & Phinees.

Loiolides vel Loioliades (ſecundam tamen corripit Pater le Brun Societ. Ieſu in ſua Ignatiade) D. Ignatius Loióla, Societatis Ieſu fundator. ita dictus, quia maiores eius Loiólam poſſederunt.

Loioliadae dici poſſunt (ſeu Loiolítae) religioſi omnes Societatis Ieſu.

Lotiadae dicuntur Moab, & Ammon, filij Lot: primus ex maiore filia, ſecundus ex minore geniti. vel eius nepotes, ac poſteri.

Lusiadae ſeu Lysiadae Lusitáni (hodie Portughési) oriundi à Luſo, qui vnà cum Lysia comitatus eſt Bacchum in Hispániam.

Lycaonides Maénalus Lycáonis, Regis Arcádiae, filius, à quo Maenalus mons eſt appellatus; & Maenalos vrbs Arcadiae.
vel Nyctimus, eius liberûm natu maximus, qui patri ſucceſſit in regnum.
vel Oenótrus natu minimus, qui in Italiam profectus, Oenótriam appellauit partem eius maritimam, à freto Siculo ad Tarentínum vſque, & Poſidoniátem ſinum extenſam.
vel Peucetiús, eiuſdem filius, qui vnà cum Oenótro in Italiam venit, à quo Peucétia dicta eſt, quæ nunc Iapygia nuncupatur.

vel Mácedon, ſeu *Mácedo* (onis) à quo Macedónia eſt appellata, Lycáonis etiam filius, pater Pindi, à quo Pindus Theſsáliæ mons vocatus eſt.

vel Hyperes (étis) item filius, à quo Hyperîa fons eſt nominatus, qui ſurgebat in media Pheræorum vrbe in Theſſalia.

vel Párrhaſus eiuſdem filius, à quo Parrháſia dicta eſt vna ex Arcadiæ vrbibus.

Item alij plures eius filij apud Pausániam lib. 8. qui omnes duodecim recenſentur: ab alijs verò quinquaginta.

Lycomidæ ſeu melius Lycodrymidæ } dicti ſunt, qui in Lyci (filij Pandíonis) luco præfecti erant ſacris. nam δρυμὸς dicitur ſaltus, ſeu lucus.

Lycophronides Lycurgus quidam Lycóphronis filius, Atheniensis Reip. præfectus, & amplificator.

Lycorides maritus Alcídices (quæ fuit Alébæ, ſeu Aléuæ filia) ita dictus fortaſſe à patre Lycóreo. vterque autem coniugum ruente domo oppreſſus eſt.

Lycortiades Polybius hiſtoricus Græcus, Lycortæ filius.

Lycurgides Butes (æ) Lycurgi, Thracum Regis, frater, ſeu filius, qui in venatione ab apro eſt laceratus. vel iuxtà alios *Ancæus* Arcas, Lycurgi gigantis, & Antínoës filius, *Alei* nepos, ab apro Calydónio interemptus.

vel *Archémorus* Lycurgi, Regis Thráciæ, ſeu Némeæ, filius, qui adhuc infans à ſerpente occiſus fuit: in cuius honorem inſtituta ſunt Némea, ſeu Nemæa certamina, in quibus victores apio (Italis Petroſémolo) coronabantur.

Lyncides Abas (antis) Argíuus Lyncei filius, qui *Acri*ſium

sium genuit, cuius filia Dánaë fuit, ex qua Pérseus natus est. Lynceus autem fuit Ægypti filius, qui Dánao patruo suo successit in regnum.

Lysiadę v. *Lusiadae*.

Lechiadæ Polóni populi (hodie Polacchi) ita dicti à Lecho, primo eorum principe, qui Polónum nomen maximè illustrauit. vnde & ipsa Polónia Léchia dicta est, & Lechi (penultimâ communi, idest modò breui, modò longa) dicuntur ipsi Poloni. P. Casimirus Soc. Iesu lib. 4. ode. 6.

M

Maachides Absalon, tertius Dauídis filius, ex Máacha filia Tálmai, Regis Gessur. hic formosissimus iuuenis patrium regnum affectans, Dauidi bellum intulit. sed inter fugiendum, è quercu pendens per cæsariem ramis inuolutam, transfixus fuit à Ioábo tribus hastilibus.

Machaonides Nicómachus Macháonis filius, Æsculapij nepos. à quo duxit originem alter Nicomachus, Aristótelis pater; & tertius Nicomachus Aristotelis filius.

Machirides Gálaad filius Machir, à quo Galaaddi vrbs est cognominata.

Mænalides Pan, Deus pastorum, in Arcádia genitus, vbi Maenalus mons est.

Mæonides Homérus, ita dictus à Maéone Rege, qui eum aluit. vel à Mæónia Regina, seu regione Phrygiæ, vbi Smyrnam patriam habuit. vel quia pater

eius (vt ait Ephorus) Mæon dictus, eum ex Critheide suscepit, quæ iuxta Melétem fluuium, illum peperit: vnde Melesígenes fuit appellatus. Homerus autem dictus, idest cæcus (ὅμηρον enim Ionici cæcum vocant) quia extrema ætate morbo cæcatus est.

Mæonidæ dicuntur Lydi, nam *Lydia* dicebatur Mæónia à Mæone fluuio. ita etiam appellantur Etrusci à Silio poëta. Mæónidum verò tellus, ipsa *Etrúria*, quia ex Mæonia *Etrusci* venerunt.

Maiades seu Maiades | Mercurius facundiæ, & mercaturæ Deus habitus, ac Deorum nuntius; *Iouis*, & Maiæ filius.

Manoades seu Manuades | Samson (ônis) filius Mánuë, seu Manóë, miro corporis robore à Deo donatus: qui abrasa cæsarie à Dálila eius amasia, amissoque cum illa robore, à *Philisthæis* est excæcatus, moleque circumagendæ destinatus.

Marathoniades Corinthus Marathônis filius, à quo appellata est Corinthus, vrbs quondam Achaiæ celeberrima. vel Sícyon(ónis) eius item filius, à quo Sicyónia regio.

Marmarides Córitus *Mármari* filius.

Marmaridæ populi incolentes Marmáricam, Libyæ, seu Africæ regionem, qui serpentium venenis medebantur: vti etiam & Psylli, Libyæ interioris populi.

Mastorides *Lycophron* (ônis) Mástoris filius. vel *Alitherses* (æ) Mástoris etiam filius.

Mathiades Diuus Ioseph, Beatę Virginis sponsus, nepos *Mathan*.

Mathusalides Lamech, *Mathúsale*, seu *Mathusáëlis* filius.

*M*edontidae dicti sunt Medontis posteri, qui Athenis decennium regnarunt. *M*edon autem fuit Codri filius, & Atheniensium Rex.

*M*egades Périmus *M*egæ filius.

*M*egapenthiades Argeus, *M*egapenthis, Argiuorum Regis filius.

Megarides Euippus, Timalcus, *M*enippus, *M*egárei Regis filij.

*M*elampodides Abas (antis) *M*elámpodis filius.

Melampodidæ familia Argiuorum, à Melámpode ita dicta. inter quos fuit Oicles Melampodis nepos, Amphiaráus prónepos, Alcmaeon ábnepos, & Clytius Alcmaéonis filius.

Melanthides seu Melanthiades | Codrus Melanthi filius, Atheniensium vltimus Rex, qui pro patriæ salute certissimæ se morti obiectauit in eo bello, quod inter Dorienses, & Athenienses fuit. vel Theophrastus Philosophus, Aristotelis auditor, & in schola succesfor, alterius *M*elanthi filius, qui cum antea Tyrtamus diceretur, Theophrastus ab Aristotele fuit appellatus ob diuinam elocutionem.

*M*elchiades Heli, filius Melchi, oriundus ex tribu *N*athan (qui fuit Dauídis filius) frater autem Iacob, patris D. Ioséphi: qui propterea dicitur etiam filius Heli.

*M*eletiades dici potest Homérus, aliàs *M*elesígenes; quia iuxta Melétem, Smyrnæ fluuium genitus est. quare à quibusdam Melétis filius dicitur. cuius mater fuit Crithéis, *M*elanópi *M*agnesij filia.

Melitonides vel Melitoniades } Empédocles, Philosophus Agrigentinus, Melitónis filius, Pythágoræ discipulus, Górgiæ magister; qui in Ætnæ flammas se conijciens, ibi extinctus esse dicitur.

Memmiades C. Memmius Romanus, L. Memmij filius.

Memnonidæ Orientis populi, siue sint Indi, siue Æthiopes orientales, à Mémnone, Auroræ filio, originem trahentes. fuit autem Memnon, orientalis Æthiópiæ Rex.

Menelaidæ Megapenthes, & Nicóstratus Menelái filij, sed nothi; qui mortuo Menelao Hélenam domo abegerunt.

Menœtiades Pátroclus, Menœtij, & Sthéneles filius, Achilli perfamiliaris, ab Héctore interfectus.
vel Creon (ontis) Thebanorum Rex, Menœtij quoque filius, pater Iocastę, auus maternus Oédipi.

Meraridæ dicuntur filij Mérari, aliàs Meraritæ, qui Tabernaculi tabulas portabant.

Mermerides Ilus, Mérmeri filius, veneficiorum minister apud Medéam.

Metionidæ familia eorum, qui diù regnarunt Athenis. ita dicti à Metíone, qui fuit Cécropis (alijs Eréchthei) filius: & ex his originem duxit Daédalus.

Micipsiades Adherbal, & Hiempsal fratres, Micipsæ Regis Numídiæ filij, à Iugurtha occisi.
vel ipse Iugurtha filius adoptiuus Micipsæ, cum re vera esset filius nothus Manastábalis, fratris Micipsæ.

Miconiades v. Myconiades.

Midylidæ dicuntur omnes posteri ex familia Mídyli, à quo nomen accepêre: & erat curia quædam in Ægína.

mile-

Miletides Caunus *Miléti*, & Cyánees, ſeu Tragáſiæ filius, frater Biblidis.

*M*imantiades Hippotes (æ) *M*imantis filius, Æoli prioris nepos: qui ex *M*elanippe alterum Æolum genuit, ventorum Regem.

*M*inciades dici poteſt Virgilius poëta Mantuanus, à *M*incio *M*antuæ fluuio.

Minciadæ dicuntur omnes Mantuani à Mincio, fluuio ipſis proximo.

Minyidæ (primâ ob neceſſitatem producta) dicuntur Orchomenij Bœótiæ populi à Mínyo quodam, qui primus Orchómeni, Bœotiæ in vrbe regnauit: vnde & Minyéum dictum eſt Orchómenum ipſum Bœoticum. ab hoc Minyo item vocati ſunt Mínyæ, Theſſáliæ populi, quorum plerique fuerunt Argonautæ. Pindari Scholiaſtes ode 14. Olympiorum.

Miſraidæ seu Miſramidæ } Philiſthæi populi Iudæis finitimi, quorum regio dicta eſt Palæſtina. ex his fuit Góliath gigas à Dauíde percuſſus. ita quidem appellantur ab Allóphilo apud Suídam, citatum in poëſi ſacra Parnaſſi poëtici.

Mnaſeades ſeu Mnaſeides } Zeno Philoſophus, Mnaséæ, ſeu Mnáseæ filius, & Stóicæ ſectæ princeps.

Mneſarchides Pythágoras, Philoſophus Sámius, filius Mneſarchi artificis annularij, & Pytháidis, item Sámiæ, ſeu Saméæ, formoſiſſimæ mulieris.

Ita etiam appellari poſſet Eurípides Athenienſis, poëta tragicus, qui iuxta Rhodigínum fuit Mneſarchi, & Clitûs nobiliſſimæ fœminæ, filius: cuius patrem alij Mnesárchidem vocant.

mo-

Molionidæ Ctéatus, & Eurytus, Neptúni, siue Actoris ex Molíone filij. ijdem dicuntur à Græcis Moliones per syncopen pro Molioniones. ita Pindarus in Olymp. ode 10. v. Actórides.

Mopsopidæ Athenienses, nam Athenæ, siue Attica dicta est Mopsópia à Mopso eius Rege.

Mosiadæ Mosis filij, idest Gersam, & Eliezer ex Séphora, filia Raguélis. vel eius posteri, vel Hebræi, quorum ipse ductor fuit in exitu de Ægypto.

Myconiades Onátas Æginéta, sculptor egregius, Mycónis filius.

Mygdonides dicitur Chorœbus filius Mygdoni, seu Mygdonis, Regis Thráciæ; homo stultissimus: nam maris vndas numerare conabatur, cum non posset vltra quinque numerare.

Myletidæ dicti sunt quidam Syracusani exules, qui vnà cum Chalcidensibus primi habitarunt Hímeram Siciliæ vrbem. ita fortasse appellati à Myléto quopiam factionis principe, & auctore. vel etiam à μύλη, idest mola, quasi móliti, seu subacti.

Myronides Lycius, statuarius Græcus, Myrónis filius.

Myrsiades Candaules (is) Myrsi filius (Myrsílus à Græcis appellatus) Sardium tyrannus, & à Gyge occisus, dum erat Lydorum Rex.



Na-

N

Nabatides Ieróboam seruus Salomónis, filius Nabat, qui duos erexit aureos vitulos, & adorauit.

Nachorides Thare Náchoris filius, pater Abram, & Saræ; sed ex diuersis vxoribus. quare Abraham dici potest Nachoridæ natus. fuit etiam Thare pater alterius Náchoris, & *Aráni*. Aran autem genuit Lot; Nachor verò Bathuélem patrem Rebeccæ, vxoris Isaáci.

Naubolides seu Naubulides — *Iphitus* Náuboli filius. vel Clytonéus eiusdem filius. vel Schedius, & *Epístrophus*, *Iphiti* filij, & Nauboli nepotes.

Naupliades Palamédes (is) filius Nauplij, *Eubææ* insulæ Regis: qui ficto crimine ab Vlysse, quod aurum à Príamo in Græcorum proditionem accepisset, lapidibus óbrutus est.

vel Prœtus (alius ab Argiuorum Rege) Nauplij filius *Lerni* pater, Nauboli auus.

Naupliadæ volucres (ita vt Naupliadæ sit genitiuus numeri singularis) idest Palamédis aues, dicuntur à poëtis Grues: ex ijs enim, earumque varia inter volandum figura literas aliquot ille desumpsit, & Græcis tradidit, præsertim verò Y.

Naupliadæ calculi, seu lapilli, dici possunt latrunculi (Italicè scacchi) à Palaméde inuenti.

Nelides vel Neleides — Nestor, Nélei filius ex Chlóride. hic trecentos dicitur vixisse annos, seu tres ætates. ætas verò alijs est spatium triginta annorum; alijs trium, & triginta; poëtis verò centum.

vel Periclymenus, & Chrómius, Néstoris fratres germani.

mani . hic autem Periclýmenus à Neptuno auo suo habuit dono, vt in quaslibet animalium formas verti posset: sed ab Hercule tandem occisus est, in muscam conuersus. Inter Nélei filios numeratur etiam Phrygius, qui Píeriam puellam valdè amauit, vnde factum prouerbium : vt Phrygius amauit Píeriam.

Neleidę seu Nelidæ } duodecim Nélei filij appellantur. Neleus enim Neptuni filius ; & Tyrûs nymphæ, vxorem habuit Chlorin, Níobes filiam, ex qua tres filios suscepit, Periclymenum, Nestorem, Chromium. ex varijs autem mulieribus reliquos nouem, nempè Taurum, Astérium, Lycáonem, Deímachum, Eurybium, Epileontem, Phthasin, Antímenem, & Alástorem.

Nelidæ appellantur ab Apollonio Iäones, siue Iōnes Græciæ populi, quia fortasse à Nelei filijs originem trahebant.

Neoclides Epicûrus Philosophus Atheniensis, Neóclis filius.
vel Themístocles Atheniensium dux, & Persarum victor, Neoclis filius: qui ne Athenas patriam suam hosti proderet, hausto tauri sanguine se necauit.

Nephilidæ gigantes, fortasse à Néphilim. ita P. Antonius Millieus Societ. Iesu in poëmate de Mose viatore.

Nephthalidæ populi de tribu Néphthali, qui fuit vnus filiorum Iacob.

Nestorides Thrasymédes (is) Néstoris filius. vel Antilochus, & Pisístratus, etiam filij eiusdem Nestoris. vel Pelasgus eius item filius (quamuis Iouis filius dictitetur) qui Parrháſiam Arcádiæ vrbem ædificauit, & in honorem Párrhasi, Lycáonis filij, ita nominauit.

Nestoridæ Nestoris successores, & posteri, Messeniâ eiecti: qui & Nelídæ appellantur.

Nicanorides Antíochus primus, cognomento soter, Seleuci Nicánoris filius.

Nilides vel Nileides | Ægyptus Nílei filius, Codri nepos: Níleus enim fuit Codri filius.

Noëmides Sem, Cham, Iaphet, Noë, seu Noáchi filij: qui vnà cum patre in arcam ingressi sunt diluuij tempore.

Nuniades seu Nunides vel Nunniades | *Iósuë* (aliàs Iesus) filius Nun, seu Nunis (aliàs Naue) Israëlitarum Dux, è tribu Ephraim: ad cuius preces Sol stetit, donec ipse Dei hostes vlcisceretur.

Nyctimides dici potest Arcas (ădis) Iouis, & Callistûs filius, Nyctimi nepos ex sorore. ab hoc Arcade denominata est Arcádia, quæ antea dicebatur Pelásgia.

Nysiadæ *Arabes*, à Nysa oppido, & monte Arábiæ. ita etiam appellari possent tres Magi, Arabum Reges, qui Christum natum adorarunt.



O

Oeagrides Orpheus citharœdus, Oéagri filius ex Menippe, ſiue allegoricè ex Callíope. quanquàm alij Apollinis filium faciunt.

Oebalides Cáſtor, & Pollux, qui etiam Oébalij fratres; vel Oebalidæ gemini dicuntur, ab Oebália Lacóniæ vrbe, in qua nati feruntur.

vel Tyndáreus, ſeu Tyndarus, Oébali ex Gorgóphone filius, Ledæ coniux.

vel Hyacinthus, puer Lacon, à Phœbo dilectus, & in ludo diſci ab eodem extinctus per imprudentiam.

Oebalidæ dicuntur Lacónes ipſi: nam Oebália eſt vrbs Lacóniæ; & Oebalia diciturip ſa Laconia.

Oeclídes v. Oiclídes.

Oedipodionides vel Oedipodes | Polyníces (cis, ſeu cæ) & Etéocles (is) qui Oédipi Thebanorum Regis, & Iocaſtæ filij fuêre. hi hæreditate diſſidentes, mutuò ſeſe in ſingulari certamine interfecerunt. *Oedipodæ* verò hi fratres appellantur in indice librorum Pauſaniæ. & ita dici poſſent Therſander Polynicis filius, & Laódamas (antis) Etéoclis filius, Oedipi nepotes.

Oedipodionidæ Thebani omnes, ita dicti ab Oedipo eorum Rege. ex Oedípode autem fit Oedipodíon, vnde patronymicum ſupra poſitum.

Oeniadæ ſeu Oeneadæ | populi Acarnánum, ita dicti fortaſſe ab Oéneo Ætóliæ Rege. eſt autem Ætólia Acarnániæ contermina. ſecunda producitur in voce

Oene-

Oeneadę, quia apud Strabónem, & Stephanum scribitur Οἰνειάδαι: & Οἰνειὰς χώρα.

Oenides & Oeniades | Mimálion (ónis) seu Melánion, aliàs Meléager (agri) *Atalantæ* coniux: vel Inachus, vel Tydeus, filij Oénei, Ætóliæ Regis.

vel Diomédes Oénei nepos, & Tydei filius, Dauni Apúliæ Regis gener.

vel Dexámenus Centaurus, Oénei filius.

Oenopides Hélenus, Oénopis filius.

Oetólides v. Ætólides.

Ogygidæ Thebáni omnes, ita dicti ab Ogyge, siue Ogygo primo Thebanorum Rege, qui Thebas Bœotias condidit.

Oiclides seu Oeclides vel Oiclitides seu Oeclitides | Amphiaráus, Oíclei, seu Oeclei filius, maritus Eriphyles, augur peritissimus, qui apud Thebas terræ hiatu absorptus est. dicitur etiam Oeclítides, vel quia Oéclitus etiam appellatus est eius pater; vel per Epénthesin figuram.

Oilides seu Oiliades | Aiax Græcus, Oílei filius, & Locrensium Rex: qui cum, captâ Troia, Cassandram virginem, & vatem in templo Palladis violasset, domum naui repetens, à Pallade fulmine ictus est Hunc Pindarus Iliaden, pro Oiliaden, appellat per, Aphaéresin, in Olymp. ode 9.

Olenides Phóceus Oleni filius.

Oligaetidæ dicebatur quædam pars Tribus Corinthiæ. ita verò tribúles dicti à quodam *Oligęte* antiquo. Pindar. in *Olymp*. ode 13.

Om-

Omphalioniades Pantáleon (ontis) Omphaliónis filius, Pisæ tyrannus.

Onetorides Phrontis (idis) Onétoris filius, Menelái Regis nauclérus peritissimus: qui Sunium Atticæ promontorium præteruectus, è vita decessit, ibique à Rege sepultus est honorificè.

Ophionides Amycus (malè Amyclus) Ophíonis filius, notatus vt sacrilegus, qui sacellum anathématis, seu tabellis votiuis spoliauit.

Orestiades siue Orestides Tisámenus, Orestis filius, ex Hermíone filia Menelái, Mycenarum Regis.

vel Pénthilus eiusdem filius, sed nothus, ex Erígone, Ægisthi filia.

Orestidę (alijs Orestæ) populi sunt Oréstidis regionis in Macedónia, ita dicti ab Oreste Orestis, & Hermíones filio.

Oretiadæ dici possunt. Panormitani, Siciliæ populi, ab Oréto eorum fluuio.

Ormenides Amyntor (oris) vel Ctesius Ormeni filij.

Ornitides Náubolus Phocensis, Orniti filius, Iphiti pater.

Ornytioniades vel Ornytionides Phocus Corinthius, Ornytiónis filius, à quo Phocis, regio Græciæ, cognominata est. fuit tamē & alter Phocus, Æaci filius, à quo etiam nomen hoc cæteris eiusdem regionis locis inditum est.

Ortygides Anticlus Ortygis filius, vnusque ex Græcis militibus equo Troiano inclusis, ibi ab Vlysse suffocatus, ne inde audiretur loqui à Troianis, vti cœperat.

Othmanidæ vel Omanidæ } dicuntur Turcarum Imperatores, qui à Sultanorum familia Othmánica, siue Osmánica sunt oriundi. hæc autem familia nomen traxit ab *Othmáne*, siue *Osmáne* quodam (*Ottomannum*, siue *Ottománum*, siue *Othománum* alij vocant) Sultáno, ac Turcarum principe. secunda tamen syllaba in *Othmanide* potest corripi metri causa.

Othryades, siue *Othryadas*, nomen proprium cuiusdam Spartáni, quem occidit Periláus Argiuus, *Alcénoris* filius.

Otriades Panthus Troianus, *Otrei* filius, & Phœbi sacerdos.

Oxylides Heródotus, Græcus historicus, Oxyli filius.



P

Pæantiades Philoctétes (æ) Pæantis filius, comes,& amicus Herculis, qui Petíliam oppidum in Galábria condidit.

Pæonides Agástrophus Paéonis filius.

Pæonidæ gens, ſeu familia Athenis, à Paéone nomen habens: qui erat Antílochi filius,& Nélei poſterus.

Palamaonides Daédalus, Athenienſis Architectus, Palamáonis filius, pater Icari, quanquàm alij Euphémi, ſiue Eupálami; vel Eréchthei filium faciunt.

Pandionides Eréchtheus, & Butes (æ) (Prognes, & Philomélæ fratres) Pandíonis prioris filij.
vel Cecrops minor, Eréchthei filius, Pandionis nepos, Erichthonij prónepos.
vel Aégeus, Lycus, Pallas (antis) Nilus, Pandíonis poſterioris, Athenarum Regis, filij.
vel *Oéneus* eiuſdem filius nothus.

Panopeiädes vel Panopides } Epêus Panópei filius, qui ligneum, ſeu durateum equum ædificauit.

Panthoides vel Panthœdes } Pythágoras Philoſophus Samius, qui aiebat ſe quondam fuiſſe Euphorbum Troianum, filium Pánthoi, ſeu Panthi.

Ita etiam dici poteſt ipſe Euphorbus, vel Polydamas (antis) vterque Panthi, ſeu Pánthoi filius. fuit autem Polydamas, ſeu Pulydamas, Troianus genere, magiſter, & ſocius Héctoris.

Pa-

Paropamiſſadæ seu Paropamiſadæ vel Paropamiſiadæ | dicuntur Aſiæ populi propè Taurum montem, cuius pars altiſſima à ſeptentrione illis imminens, Paropamiſſus, ſeu Paropamíſus appellatur.

Parrhaſiades Demóchares, Athenienſis Orator, & Demóſthenis ex ſorore nepos. ita dictus ob nimiam procacitatem: παῤῥησία enim eſt libertas loquendi. hic cum alijs ad Philippum, Macedóniæ Regem, legatus, quærenti Regi quid Athenienſibus gratum facere poſſet, reſpondit, ſuſpende te.

Parthaonides Oéneus, Rex Ætóliæ, filius Partháonis. vel Theſtius eiuſdem filius.

Patritiades vel Patritides | *Diuus Aurelius* Auguſtinus Afer, Epíſcopus Hipponenſis, Eccléſiæ doctor, filius Patritij, & S. Mónicæ. Affertur à Dominico Franciſco Ragazio in Theſauro phraſiū poëticarū.

Patroclidæ Lacónes, ita dicti à Pátrocle eorum legislatore.

Pelaſgiades ſeu Pelaſgides | Lycáon (onis) Arcádiæ Rex, Pelaſgi filius ex Meliboea, Océani filia; vel ex Cylléne nympha: qui quinquaginta liberos habuit, & omnes excepto Nyctimo interfectos, vel Phraſtor (oris) pater Amyntoris, Pelaſgi, & Menippæ filius.

Peliades Acaſtus Péliæ Theſſalorum Regis filius, venator ſagittis clarus.

Pelides vel Peleides vel Peleiădes | Achilles, filius Pélei, Theſsáliæ Regis, ex Thétide nympha marina. verè autem eius mater fuiſſe dicitur Philoméla Actoris filia. Iónica verò formatione Pelion (ônis) dicitur apud Græcos poëtas.

Pelidæ dici poſſunt Epíri Reges, vel ipſi Epirótæ, à Péleo originem trahentes.

Pelopides vel Pelopeiădes | (vel prima ob neceſſitatam producta) Atreus, Thyeſtes, & Pliſthenes, Pélopis filij ex Hippodamía.

vel Alcáthous eiuſdem filius, qui cum Leone Cytheronio congreſſus; victor illius euaſit.

vel Cleon (ônis) eiuſdem filius.

vel Epidaurus eiuſdem filius, à quo Epidáuria regio cognominata eſt. quanquã alij hunc Argi filiũ faciunt.

vel Píttheus eiuſdem filius, Théſei auus maternus, qui Trœzéne regnauit.

vel Chryſippus Pelopis filius nothus, ex Axíocha.

vel Tisámenus Pélopis prónepos, Oreſtis filius.

Pelopidæ dicuntur poſteri Pélopis, Tántalo nati, qui Mycénas auxerunt, cum ibi regnaſſent. item poſteri Agamémnonis, qui Pelopis nepos fuit: ſicuti Hércules, vt ait Pausánias, fuit Pelopis prónepos.

Pelopeiădæ dicuntur Græci à Pelope filio Tantali, qui in Peloponnéſo regnauit.

Peloriades dicitur Pelórus, vnum ex tribus Siciliæ promontorijs ad Septentriónem propè Meſsánam. ita dictus à Pelóro Annibalis naucléro, ibi interempto ab eodem (hodie capo della torre del Faro) quanquàm alijs Pelórias fœminino genere videtur potius declinandum.

Pen-

Penthides, & Pentheides | Lycurgus Rex Thracum, Bacchi contemptor, & propterea in furorem conuersus: qui dum vites succideret, tibias sibi falce amputauit. ita dictus quia nepos fuit Pénthei, qui genuit Dryantem, à quo natus est Lycurgus.

Periphantiades Lápitha Théssalus, Periphantis filius, qui Lápithis nomen dedit.

Periphantiadæ dici possunt ipsi Lápithæ, Thessáliæ populi, qui frenos, & strata equorum creduntur inuenisse.

Persides vel Perseides vel Perseiades. | Sthénelus, vel Cynûrus Pérsei filij. vel Erythra eiusdem filius ex Andrómeda, qui Erythræo mari nomen dedit. vel Perses (is) Pérsei (Danaës nati) filius ex Andromeda; à quo Persæ originem duxerunt, quique primus sagittas reperit.

vel Mestor, Alcæus, Electryo, eiusdem etiam filij.

Persidæ seu Perseidæ | dicuntur omnes illi, qui à Perseo originem ducunt, inter quos fuerunt Heraclídæ, & Achæménidæ. item Reges Mycenæorum, à quibus translatum est regnum ad Pelópidas: qui inter se affines erant: nam ex Nicippe Pélopis filia, Sthénelus Persei filius Eurystheum suscepit, in quo posteritas Persei defecit. horum Regum catálogus est huiusmodi. primus Rex Pérseus, 2. Eléctryo, & Taphius, 3. Sthénelus, 4. Eurystheus, 5. Atreus, & Thyestes fratres, 6. Agamemnon, 7. Ægisthus, 8. Orestes, 9. Tisámenus, Pénthilus, & Cométes.

Ex qua etiam familia ortus est Cambyses Cyri pater.

Peucides Perimédes, & Dryalus, Péucei filij.

Phaëthontiades | Ligyſtus Phaëthontis filius, à quo ma-
ſeu } re Ligúſticum, & Lígures Italiæ popu-
Phaëthontides | li ſunt appellati. vel Æéta eius frater
ex alia matre, ideſt ex Antíope.

Phalantiadæ dicuntur Tarentíni Italiæ populi, à Phalanto Græco, qui Tarentum auxit. ab alijs verò ſcribitur Phalanthus.

Phanoſtratides Demetrius Phaléreus, Phanóſtrati filius, Theophraſti auditor, ac inſignis philoſophus, Atheniensium præfectus, ſeu tyrannus.

Pharaoniadæ Ægyptij, ita dicti à Pharaóne, eorum Rege.

Pharphariades (ſecunda poteſt ob neceſſitatem produci) dicitur pars vna Tauri, Aſiæ montis, fortaſſe à Pharphar, qui eſt fluuius Damaſci, quæ eſt vrbs Syriæ: Syria verò eſt Aſiæ regio.

Phaſiades Cáucaſi paſtoris filius, ita dictus, quia ad Pháſidis, Colchórum fluuij, vndas natus eſt.

Phaſiadæ dici poſſunt omnes Colchi, Aſiæ populi, à flumine prædicto.

Phauſiades *Apisáon* (onis) Pháusij filius.

Phemiades Phemius, Phemij filius, Homéri magiſter, & pater adoptiuus.

Pheretiades Admétus, Pherétis filius, Rex Pheræorum (qui ſunt Theſsáliæ populi) cuius armenta pauiſſe dicitur Apollo.

Philaiades Rhoecus Samius, Philæi filius, qui vnà cum Theodóro docuit primùm æs conflare.

Philammonides Eumolpus, Philámmonis filius. vel Thámyris (idis) ſeu Thámyras (æ) eiuſdem filius

ex

ex Argíopa, poëta Thrácius; à Musis lyrâ, & oculis priuatus, quia cum ipsis ausus carminibus contendere, victus fuit.

Philetorides Démochus Philétoris filius.

Philippiades Alexander magnus, Macédonum Rex, Philippi filius.
vel Pérseus alterius Philippi, Demetrio geníti, filius; postremus Macédonum Rex, à Paulo Æmilio superatus. ita etiam dici posset Carolus II. Hispaniärum Rex, Philippi IV. item Regis, filius.

Philomelides intelligitur ab Homéri scholiaste Pátroclus Philoméli filius, ab Vlysse occisus. sed refellitur ab Eustathio eiusdem Homeri cōmentatore, qui contendit esse nomen proprium Regis cuiusdam Lesbi, qui hospites omnes, illac prætereuntes ad luctam prouocabat: sed Vlysses & Diomédes dolo eum aggressi occiderunt, eiusque sepulcrum, aduenarum fecerunt hospitium.

Philostratides Pólemo, seu Pólemon (ónis) Atheniensis philosophus, Philóstrati filius, qui ex impudico castus redditus est Xenócratis oratione de temperantia: cui & in schola regenda successit.

Philyrides seu Phillyrides (vel prima ob necessitatem producta) Chiron (ónis) Centaurus, filius Saturni ex Phílyra nympha marina, & Océani filia: qui fuit Achillis pædagógus; & Æsculapium, atque Herculem Astrologíam docuit. v. Cronides.

Phineidæ seu Phinidæ dicuntur Crambis, & Orythus (alijs Parthenius) Phínei Arcádiæ, seu Paphlagóniæ Regis, filij ex Cleópatra, seu Sthenobœa: à patre autem excæcati sunt, instigante Ida, Dárdani Scytharum

tharum Regis filia: vel iuxta alios Harpályce illorum nouerca. quapropter, & ipſe à Dijs fuit excæcatus, & ab Harpyijs infeſtatus.
vel Páphlagon (onis) eiuſdem Phínei filius, à quo Paphlagónia Aſię minoris regio, dicta. vel iuxtà alios *Ma*riandynus, & Thynus eiuſdem filij.

Phliaſides ſeu Phliantiades } poteſt appellari *A*ndródamas(antis)filius Phliantis ex Arętbyrea.

Phonolenides Phonóleni filius *L*ápitha, & propè gigas.

Phorbantiades Tríopas *P*horbãtis filius, *A*génoris pater. vel *I*lióneus, *P*horbantis Troiani filius, Æneæ comes, qui eloquentia plurimùm pollebat.
Alijs verò *P*horbantiades eſt *P*ellen (énis) Argiuus (à quo *P*elléne vrbs Achæorum) Phorbantis filius, Tríopæ nepos.

Phoronides *A*mphiaráus, *A*draſtus, Clymenus, *E*urops (ôpis) Cares(êtis)(à quo dicta eſt Cária) Phorónei *filij.*
vel Spartus Phoronei filius, qui Spartam condidit: quam alij à Sparta Eurótę fluminis filia appellatam volunt.
vel Argus Argiuorum Rex, nepos Phoronei ex eius filia Níobe.
vel *O*síris(idis)ſiue Apis (idis) ſeu Sérapis(idis)Ægyptiorum *D*eus, Phorónei nepos ex eius filia Niobe; filius verò Iouis.alijs verò dicitur Apis Phoronei filius, à quo Apia dicta, quę poſtea Peloponnéſus.
vel Pelaſgus (à quo Peláſgia dicta eſt Theſſalia) Phoronei item nepos, Iouis filius, ex Níobe Phoronei filia.

Phoronidæ Argiui omnes, ita dicti à Phoroneo Inachi fluuij

fluuij filio, & Argiuorum Rege.

Phradmonides Ageláus Phrádmonis filius.

Phthijades dici poteſt Achilles, qui Phthius genere fuit.

Phthijadæ dicuntur Théſſali. Phthijadum terra dicitur Theſsália: nam, Phthia, pars eſt auſtralis Theſſaliæ.

Phylacides Iphiclus Phylaci, & Clymenes filius, miræ celeritatis homo: qui, vt eſt in fabulis, ſuper ſpicas currebat illæſis ariſtis ob curſus leuitatem. hanc verò laudem Natalis Comes tribuit Iphiclo alteri, qui fuit Amphitryónis filius, Herculis frater.
vel Proteſiláus vnus è Græciæ principibus, in bello Troiano interfectus. ita dictus à Phylace oppido Theſſaliç, vbi ille regnauit: vel à Phylaco eius auo, qui fuit pater Iphicli; Iphilus autem pater Proteſilái.

Phylantiades Hippotes (æ) Phylantis filius, qui Carnum interfecit.

Phylides Meges (étis) Phílei, atque Ctímenes filius. fuit autem Ctímene Laërtæ filia, ſoror Vlyſſis, Meges verò iſte cum 40. nauibus ex Dulíchio venit ad bellum Troianum.

Phyllirides v. Philyrides.

Piſenorides Ops (opis) Piſénoris filius.

Piſiſtratides Híppias (æ) Athenienſis, Pisíſtrati tyranni filius, qui in Marathónia pugna cecidit, arma contra patriam gerens.
vel Hipparchus, ſeu Díocles tyrannus, Pisíſtrati filius, qui occiſus fuit ab Ariſtogítone, & Harmodio. quã de cauſa ſtatuas his ambobus poſuére Athenienſes.

Piſiſtratidæ Pisíſtrati nepotes, ſeu poſteri, qui Athenis tyran-

tyrannicè regnarunt. Pisistratus autem tyrannus, fuit Hippocratis filius. ita etiam appellari possunt omnes Athenienses.

Pityrides Procles (is) Epidaurius, Pityrei filius, Iŏnum dux, seu princeps.

Placiadæ dicuntur incolæ vici cuiusdam, regionis Atticæ, apud quos moris erat adulteros ignominiosis pœnis punire. ita dicti vel à voce græca πλακία, quod est erratum, seu delictum; vel quia ex his, Athenienses in Pláciam regionem iuxtà Thráciam misêre coloniam.

Pleuronides seu Pleuroniades Agénor (oris) Pleurónis filius, pater Thestij, qui Thestius Ledam genuit, matrem Hélenæ, quam à próauo Pleuróniam appellauit Lycophron.

Plisthenides Agamemnon, & Meneláus, Plísthenis filij, & ab Atreo ipsorum patruo educati mortuo genitore, tametsi alijs dicuntur Atrei filij.

Polyæmonides Amopáon (onis) filius Polyaémonis.

Polyctorides Pisander (dri) Polyctoris filius.

Polypemonides Procustes (æ) Polypémonis filius, qui in quodam Atticæ loco viatores captos, & lecto impositos, quibus pedes breuiores erant, extendere vi quadam, & lecto æquare solebat: quibus verò longiores, quàm lectus, partem prominentem amputabat. Intelligi etiam potest Aphídas (antis) Polypémonis filius.

Polyphradmonides Phrynicus poëta lyricus, Polyphrádmonis filius.

Pœantiades. v. Pæantiades.

Pompeiades Sex. Pompeius, Cn. Pompeij filius, natu maior,

maior, à Cæsare in Hispania superatus.

Porciadæ dici possunt Catónes omnes, qui de gente Pórcia ex Tusculano municipio ortum trahebant. ex his primus Romam venit M. Cato Porcius (aliàs Cato maior) qui Consul fuit, & Censor; imò optimus Orator, Imperator, & Senator. hic duos habuit Catónes filios, quorum alter armis, alter iuris prudentia insignis fuit. Præterea M. Cato minor Vticensis, M. Porcij prónepos (Porcij enim filius fuit M. Cato Salonianus: huius verò filius, alter Marcus Cato; cuius filius erat hic Vticensis) qui sibi Vticæ necem consciuit: cuius filia, Pórcia nomine, & Bruti vxor, audita patris nece, carbones accensos deglutiens, vitam finiuit.

Potachidæ (Stéphano Botachidæ) curia Tegeatarum à Pótacho ita dicta.

Praxidamantiades Alcímides Æginensis luctator, & victor; Praxidamantis nepos. Praxídamas autem nouem coronas sibi peperit, vnam Olympíacam, quinque Isthmíacas, tres Némeas.

Presbonides vel Presboniades } Clymenus Presbónis filius, Phrixi nepos, Orchomeniorum in Boeótia Rex.

Preugenides Pátreus Préugenis filius, à quo denominata est vrbs Patras in Achaia.

Priamides (vel prima ob necessitatem producta) filius Príami, vti Hector (oris) Paris (idis, qui alio nomine Alexander est appellatus) Polítes (æ) Tróilus, Deíphobus, Hélenus, Polydórus, Phorbas (antis) natu maximus &c. quinquaginta enim habuit liberos, septemdecim, vt ait Cicero, vel viginti duos, vt ait Homérus, ex Hécuba; reliquos ex concubinis. eorum

nomina recenset Apollodórus lib. 3. & Hygínus in fabulis cap. 90.

Priamidæ dici possunt Troiani omnes, à *Priamo* vltimo eorum *Rege*.

Proclides Sous, Proclis filius.
vel Eúrypon (ontis) Soi filius, Proclis nepos.
vel Leógorus Proclis filius, Samiorum Rex.

Proclidæ familia nobilis Lacónum, seu Lacedæmoniorum, qui à Procle *Aristodémi* filio ita sunt appellati in *Lacónia*, regione *Peloponnési*: seu in vrbe Lacedaémone. v. Eurypóntidæ, & Eurytiónidæ.

Promethides Deucálion (ónis) Rex Thessáliæ, Prométhei ex Asia nympha filius, & *Pyrrhæ* coniux: qui post diluuium illud Thessaliæ, cum iactaret lapides à tergo, inde homines prodibant: ex Pyrrhæ verò iactu fœminæ. Hesiodus verò Promethei, & Pandóræ filiũ facit.

Psalychiadæ (vel secunda ob necessitatem producta) Tribus in Ægína, fortasse à quodam *Psalychio*, seu *Psalycho* cognominata. ex qua tribu orti fuerunt Phylácidas, & Pytheas Isthmionícæ. Pind. ode 6. Isthmior.

Psametichides Necus Ægypti Rex, Psamétichi filius, qui Nilum vsque ad mare rubrum per amplam, longamque fossam deriuare conatus est.

Pyrgides seu Pyrgeides Lépreus (à quo dicta est *Lépreos Eleorum* oppidum) Pyrgei filius, qui cum Hercule in edacitatis certamen descendit; & vterque eodem tempore bouem in epulas occisum vorauit. post epulas verò cum ad pugnam ventum esset, cécidit Lépreus, ab Hercule prostratus.

Pyr-

Pyrrhides Molossus, Pyrrhi, & Andrómaches filius, à quo Epíri pars, Molóssia dicta est.

Pyrrhidæ seu Pyrrhiadæ } dicti sunt Reges Epirotarum, qui Pyrrho successerunt in regnum. vel ipsi populi Epirótæ, qui etiam Molossi appellantur: nam Epírus dicta deinde fuit Molóssia à Molosso Pyrrhi, & Andrómachę filio.

Pyttiades Amarynceus, Pyttij filius, rerum bellicarum vsu maximè solers.

R

Raphaidæ gigantes, ita dicti à Rapha, cuius è stirpe gigantéi homines progignebantur.

Rhadamantides seu Rhadamantiades } Erythrus Rhadamantis filius, ad quem Erythræi origines suas referunt.

Romulidæ Romani, ita dicti à Rómulo eorum conditore, & Rege.



S

Salomoniades Róboam Rex Isráélis, Salomónis filius.

Saluuiades Zambris de tribu Simeónis, & princeps in eius agmine, filius Salu: qui occisus est à Phinee propter concubitum cum Cozbi filia Sur, Principis nobilissimi Madianitarum.

Samides Telémachus, Sami filius, qui à Phaláridis tyrannide Agrigentinos soluit, & regnum occupauit. hic Ænesidámum genuit, Therónis, Agrigentinorum tyranni, patrem.

Saphatides Helisæus propheta, filius Saphat: qui fuit Elíæ discipulus.

Saronidæ dicuntur Galli Sacerdotes, seu Drúidæ, vel à Saróne ethnicorum Deo; vel à libidine ipsorum, nam σάρων est libidinosus: vel potius à quercubus fissis, seu cauis, quas Græci Sarónidas appellant. v. Druidæ.

Saruiades Abísai, Ioab, & Asaël., filij Sáruiæ, quæ fuit soror Dauídis.

Saturnides seu Saturniades } Iúpiter Saturni filius ex Ope, seu Rhea; Deorum Rex habitus apud éthnicos.

Ita etiam appellari potest Neptúnus, & Pluton, Iouis fratres, Saturnique filij, ex eádem Dea Ope, seu Rhea. v. Crónides.

vel Picus Latinorum Rex, Saturni filius. Ianus autem regnabat, cum Saturnus in Itáliam venit. postea verò regnauit ínibi Saturnus ipse: deinde eius filius Picus.

Sauliades | Iónathas, Säûlis Iſraélitarum Regis filius,
vel { Dauídi familiariſſimus, in Gélboë monte Iu-
Sauliades | dææ interfectus. vel Abínadab, & Melchíſuä
eiuſdem filij, ibidem occiſi.

Saxonidæ fortaſſe homines ex familia Sáxonum Ducum orti.
vel ipſi Sáxones, illuſtres Alemániæ populi; qui Angelæ Reginæ auſpicio Angliam deuicerunt.

Scamandrides | Teucer (cri) Cretenſis, Scamandri, &
vel { Idææ nymphæ filius, Troiæ Rex, à quo
Scamandriades | Troia dicta eſt Téucria.

Scambonidæ dicti ſunt populi vnius curiæ in Attica, à Scambóne originem trahentes.

Scipiadæ | duo Scipiónes Africani, maior ſcilicet, &
vel | minor: quorum maior (qui & Aſiaticus
Scipionidæ { dictus eſt, quod cognomen alij tribuunt
ſeu | eius fratri P. Scipioni) filius fuit P. Cor-
Scipioniadæ | nelij Scipionis, à quo Scipionum gens patricia initium habuit. minor verò (qui Æmilianus ante dicebatur, vt pote filius L. Pauli Æmilij) filius adoptiuus fuit alterius Scipionis Cornelij valetudinarij, qui erat filius Africani maioris, cuius nepos fuit Africanus minor. Maior igitur bellum Púnicum finiuit, tributaria facta Carthagine: minor verò Carthaginem funditus deleuit, ſeptingentos annos poſtquàm condita erat. deleuit etiam Numántiam, vnde Numantínus eſt appellatus. Scipiadæ etiam intelligi poſſunt duo fratres, id eſt P. Cornelius Scipio, & Cneus Scipio, in Hiſpania occiſi, pro Rep. pugnantes.

Scopadæ dicuntur Théſſali, ſeu Cranónij (eſt Cranon vrbs Theſſáliæ) à Scopa, Creontis, & Echecrátiæ filio, qui Cranonius fuit.

Scymniadæ populi cum Getis habitantes, qui fortasse iidem & Scymnitæ appellantur à Ptolemæo, collocanturque in Sarmátia *Asiática*.

Selepiades *Euenus* Selepij filius. vel Mines (étis) & Epístrophus Euéni filij, Selepij nepotes.

Seleucidæ vel Seleuciadæ } idest Seléuci Nicánoris, Syriæ Regis, posteri: videlicet Antíochus cognomine Soter, idest Saluator, Nicánoris filius.

Antiochus secundus, cognomine θεός, idest Deus, Sotéris filius.

Seléucus secundus, cognomine Callinícus, idest victor egregius, θεοῦ filius.

Seleucus tertius, cognomine Ceráunus, idest fulmen.

Antiochus tertius, cognomine magnus, Callinici filius, seu frater.

Seleucus quartus cognomine Philópator (oris) idest patris amans; seu Philométor (oris) idest matris amans, Antiochi magni filius.

Antiochus quartus, cognomine Epíphanes (is) *idest illustris*, Philométoris frater, qui à Iuda Machabæo deuictus, moerore, & viscerum torminibus confectus perijt.

Antiochus quintus, cognomine Eúpator (oris) idest bonus pater.

Demetrius Soter, Seleuci Philopátoris filius.

Alexander Bala, idest insititius.

Demetrius secundus Nicátor, idest victor, Demetrij filius.

Antiochus Alexander, Balæ filius.

Tryphon (ônis) & Diôdotus tyrannus.

Antiochus septimus Sidétes, idest è Sida Pamphyliæ vrbe, Demetrij Sotéris filius.

Seleucus quintus, & Antiochus octauus, cognomine Grypus, ideſt adunco naſo, Demetrij Nicátoris filius ex Cleópatra.

Antiochus nonus Cyzicénus, ideſt è Cyzico, Aſiæ oppido.

Seleucidæ etiam dicuntur Macédones (vt ait Ioséphus Scáliger) quia Seleucíam condiderunt.

Semiadæ dici poſſunt Aſiatici omnes, à Sem Nóëmi filio, cui in terræ diuiſione tota Aſia contigit.

Semnonidæ (per ſyncopen) Páſſarus, & Achémon (onis) ſiue Achmon fratres: quorum mater fatidica, nomine Sémnonis (idis) cum eos videret omni maleficiorum genere paſſim in obuium quemque debacchantes, cauere iuſſit, nequando in Melámpygum, ideſt in hominem hiſpidum, & ferocem) inciderent: quod accidit, cum Hercules eos corripuit, vinctoſque de claua à tergo ſuſpendit, léporum ritu.

Sephorides Balac, ſeu Bálacus, filius Sephor, Mohabitarum Rex.

Sequanidæ dicuntur Galli à Séquana fluuio, Lutétiam Pariſiorum mediam interſecante.

Seſtiadæ populi incolentes Seſtum, Europæ vrbem, propè Helleſpontum; vbi Venus colebatur: cuius templo miniſtrabat Hero puella.

Sethiades vel Setthiades Enos filius Seth, vel Sethi, Adæ nepos, qui cœpit inuocare nomen Domini.

Sicelides Aſclepíades poëta Samius, ita dictus à patre ſuo Sicélide.

Simichides Theócritus, poëta Syracuſanus, ita dictus à patre

patre suo Simíchide. vel, vt alijs placet, quia simo esset aspectu.

Siracides seu Sirachides | Iesus filius Sirach, qui Ecclesiasticum librum scripsit.

Sisyphides Vlysses, creditus Sisyphi filius ex Autólyca Laërtæ sponsa, à Sísypho violata. vel ex Anticléa, vt alij scribunt.
vel Glaucus, Sísyphi filius, Bellerophontis pater, vt putabatur; sed verè Neptuni filius fuit Bellerophõtes.
vel Ornytion (ônis) Thersander, Porphyrion (ônis) & Almus eiusdem filij.
vel Creon (ontis) Corinthi Rex, filius Sisyphi, pater Creúsæ, quam Iason repudiata Medéa in vxorem duxit.

Sisyphidæ dicuntur Sísyphi successores, & Corinthiorum Reges, qua ex progenie fuerunt Dóridas, & Hyántidas, ab Aléte Hippotæ filio exuti regno. vel ipsi Corinthij.

Soclides filius Agesímachi, & pater Praxidamantis. ita dictus à suomet nomine, quod erat Socles, vt ait Dídymus citatus à Scholiaste Pindari in Némeis ode 6. epódo 1.

Socratides Lámprocles (is) Sócratis filius, natu maximus.

Sophilides vel Sophiliades | Sóphocles Atheniensis, poëta tragicus, inter Grecos celeberrimus Sophíli filius. sic enim de eius patre Dioscórides cecinit in quodam Epigr.

Τόν σε χοροῖς μέλψαντα Σοφοκλέα παῖδα Σοφίλȣ.

Solstitides Leo cælestis solstitio proximus, vnum ex duodecim signis Zodíaci.

Sper-

Sperchesiades seu Sperchionides } Lycétus Sperchesij, seu Sperchíonis filius, quem super mensam Pérseus occidit.

Stoicidæ, philosophi Stóici, quorum auctor fertur fuisse Zeno. Stoici autem dicti sunt à porticu, vbi docebant, quæ græcè dicitur στοὰ, vnde στωϊκοὶ, mutata ο, in ω. Ita etiam dici possunt homines, qui tanquam Stóici integritatem simulant, cæterosque corrigunt seuerissimè, cum ipsi sint impurissimi.

Strymonides dici posset Athos gigas (vnde mons cognominatus est inter Macedóniam, & Thráciam) filius Neptuni, ex Rhódope filia Strymonis, Thráciæ fluminis.

Strymonidæ Thraces omnes, ita dicti à Strymone eorum fluuio.

Symmachides Theócritus, poëta Syracusanus, quem alij Praxágoræ, alij Symmachi ex Philína filium fuisse scribunt. quanquàm plerisque Simíchidæ, non Symmachi filius dicitur, quod verius existimo. v. Simíchides.



T

Tænarides Hyacinthus, puer Lacon, diſco percuſſus à Zéphyro vento, & interemptus: ita dictus à Taénaro promontorio Lacóniæ.

Tænaridæ dicuntur ipſi Lacónes populi à Tænaro promontorio.

Talaonides ſeu Talaoniades vel Talaionides — Adraſtus Rex Argiuorum Tálai, ſeu Talaónis, ſeu Talaíonis filius. vel Mecíſteus Talai etiam filius. Talaíonides verò eſt patronymicum vſurpatum à Pindaro in Olympijs, ode 6.

Talthybiadæ familia eorum, qui à Talthybio ortum ducebant. fuit autem Talthybius Agamèmnonis præco, qui vnà cum Eurybate ad Achillis caſtra miſſus eſt, vt Briséidem ab eo abduceret.

Tantalides Pelops (opis) Piſæ Rex, Tántali Regis Phrygum, & Taygetes filius, quem pater coxit, & Dijs comedendum appoſuit: cuius humerum ſola Ceres cum deguſtaſſet, re cognita, eburneum illi refecit humerum. à Pélope verò Peloponnésus eſt appellata, quaſi Pélopis inſula.

Tantalidæ dicuntur Atreus, & Thyeſtes fratres, filij Pélopis, nepotes Tántali.
vel Agamemnon, & Meneláus, Atrei filij, Tantali pronepotes.
Ita etiam omnes Græci cognominari poſſunt.

Tartarides Typhóëus gigas, qui ſecundùm Hesíodum Tártari, & Terræ filius fuit. idem Typhon (ônis) appellatur.

Te-

Tectonides Polyneus Téctonis filius.

Telamoniades Aiax (ácis) & Teucer (alter ab illo, à quo Téucria dicta est) Telamónis filij ex Hesíone. licet Aiax ex Eribœa natus dicatur Píndaro. fuit autem Teucer eximius iaculator apud Græcos. Aiax verò post mortem dicitur fuisse in Hyacinthum florem mutatus.

Teleclides Theodórus Samius, Téleclis, seu Teléclei filius, qui vnà cum Rhæco Philaei filio, primus omnium æs conflare docuit.

Teleontides seu Teleontiades | Butes (æ) vnus ex Argonautis Teleontis filius (vt ait Apollonius) qui ex Lycaste meretrice, aliàs Vénere, Erycem filium suscepit. alij verò Buten Amyci Bebryciorum Regis filium fuisse scribunt.

vel Eurybates (Apollonio Eribótes) Argonauta alterius Teleontis filius.

Telephides Eurypylus Télephi filius.

Telesiades (vel secunda ob necessitatem producta nomen proprium eius, qui fuit pater Melissi: qui Melissus in pancratio victor fuit, & coronatus. v. Cleonymides. Pind. ode 4. Isthm.

Teloniades Oébalus, Telónis, & nymphę Sebéthidis filius, qui diu regnauit apud Cápreas, insulam sitam contra Neápolim.

Terides seu Tereides | Itys (yos, seu ys) vel Itylus Térei Thráciæ Regis, & Prognes filius, deinde in Phasiánum auem mutatus. quare idem Phasianus, Terides potest appellari.

Teucriadæ Troiani, à Teucro eorum Rege ita dicti.

Teutamides Lithus Téutami filius, genere Pelaſgus, imò Pelaſgorum princeps. vel ſecundùm alios nomen proprium eius, qui fuit Amyntoris filius.
vel Bias (antis) Prienæus, vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus (cuius eſt dictum illud: omnia bona mea mecum porto) qui fuit alterius Téutami filius.

Thamniades *Haza* Rex Amalec, Eſau nepos, filius Elíphaz ex Thamna péllice.

Thariades ſeu Tharides } Abraham filius *Thare*, Náchoris nepos, qui iuſſu Dei filium ſuum immolaturus, Dei gratiam, & benignitatem lucratus eſt.
vel Aran eiuſdem filius, & pater Lot.
vel Nachor etiam Thare filius, frater *A*bram, & Lot; alterius Náchoris nepos.

Theandridæ dicuntur omnes illi, qui ex familia Theandri cuiuſdam inclyti, à quo inſignes athlétæ (inter quos Timaſarchus palæſtríta) & victores certaminum promanarunt in Ægína, Spóradum inſula.

Thembiades Rufus Gellius miles, Thembij, vt creditur, filius.

Themiſtoclides Néocles (is) Demópolis (is) & Cleophantus, Themíſtoclis Athenienſis filij. primus victor in dólicho (quod eſt ſpatium ſeſquimilliare) ſecundus in ſtadio, tertius mira corporis dexteritate, adeò vt equis rectus inſiſteret, rectuſque ex equis iacularetur.

Theoboontiades vel Theobontiades } (vel prima ob neceſſitatem producta) Amphíon (onis) lyricen, ac Thebanorum Rex, filius Theoboontis ex *An*tíope: quànquàm vulgò Iouis dicitur filius

Theo-

Theodamantiades v. Thiodamantiades.

Theodosiadæ vel Theudosidæ (vel tertia ob necessitatem producta) Arcadius, & Honorius Imperatores, ille Orientis, hic Occidentis, Theodosij superioris, atque Imperatoris filij. Arcadius Eudóciæ vxoris instinctu in exilium eiecit Ioannem Chrysóstomum. Honorius occidi iussit Stilicónem socerum suũ, ac tutorem, eiusque filium Eucherium, imperij affectatores.

Thermocratides v. Hermocratides.

Thesides Hippólytus filius Théséi, ex Hippólyte Amázone, imò Amázonum Regina.
vel Acamas (antis) & Demóphoon, seu Démophon, (ontis) eiusdem filij ex Phædra.

Thesidæ dicuntur Thései posteri, qui Athénis regnarunt, quorum postremus fuit Thymoetes, Oxyntæ filius.
vel Athenienses omnes à Théseo ipsorum Rege.

Thespiades Panémus Thespij filius. vel Tiphys Argûs nauis gubernator, quem sic appellat Valerius Flaccus, vel quia à Thespio ducebat originem; vel quia Thespiensis genere fuit.

Thespiadæ dicuntur Silio poëtæ Thespienses populi, qui Thespias Bæótiæ oppidum incolebant. hi duce Iöláo in Sardíniam venerunt, ibique Olbiam condiderunt. quare & Olbienses, vel etiam Sardi Thespiadae dici possunt.

Thespiadæ etiam dicuntur Thespij nepotes, ideſt quinquaginta Herculis filij, quos ille suscepit ex quinquaginta Thespij filiabus à se compressis. ijdem dici possunt Heraclídæ, ideſt Herculis filij.

The-

Thespiadum nepotes dicuntur à Silio poëta Crotoniátę, Itáliæ populi, vtpote ab Hercule oriundi. Croton verò Italiæ vrbs nomen accepit à Crotóne quodam latrone, quem Hercules interfecit.

Thessalides Xénophon (ontis) Corinthius, Théssali filius, qui vno die geminam victoriam, alteram péntathli, seu quinquertij, alteram stadij adeptus est. de quo Pindar. ode 13. Olymp.

Thessalidæ dicuntur Théssali populi, quorum regio Thessália à Thessalo nomen habuisse creditur.

Thestiades Tóxeus, & Plexippus, Thestij filij.

vel Meléager (agri) Thestij nepos, filius Oénei, Calydóniæ Regis, ex Althæa coniuge, quæ fuit Thestij filia.

vel Iphiclus filius Thestij, vnus ex Argonautis: qui Thestius Erichthei, Athenarum Regis, filius fuit; vel vt alij volunt, Theuthrantis.

Thestiadæ ijdem, qui Thespiadæ, quos alij Thespij, alij verò Thestij filios, seu nepotes fuisse perhibent.

Thestorides Calchas (antis) Græcus augur, Théstoris filius, qui à Mopso vaticinandi arte superatus, ex mœrore perijsse dicitur.

Thiodamantiades Hyla, siue Hylas (ę) Theodamantis, seu Thiodamantis filius, quem Hercules adamauit, secumque duxit cum Argonautis: cum autem aquam in Lyciæ silua hauriret, vrnę pondere in flumen demersus est, & ab Hercule sępè inclamatus. vnde factum prouerbium, Hylam clamas, seu vocas, idest frustrà laboras.

Thoantides seu Thoantiades Sícinus Thoantis, Lemni insulę Regis, & Oenóës nymphę Náiadis filius: à quo denominata est Sícinus insula Ægei maris,

quæ

quę prius Oenóë dicebatur, ante Eubœam ſita.

Thyeſtiades Ægiſthus filius Thyeſtæ, ſeu Thyeſtis, ex Pelopeia, ſeu Pelopéa, eiuſdem filia: qui vtpote adulter Clytemneſtræ (hæc vxor erat Agamémnonis) Atreum, eiuſque filium Agamemnonem à bello Troiano reuerſum, interfecit: ſed ab Oreſte, Agamemnonis filio, vnà cum Clytemneſtra adultera, & eiuſdem Oreſtis matre, occiſus fuit.

vel Philyſthenes, ſeu Plíſthenes, & Tántalus fratres (hic Tantalus prónepos fuit alterius Tantali) qui Thyeſtæ filij fuerunt ex Aërope (hæc erat uxor Atrei fratris Thyeſtæ) quos Atreus, iniuriæ vltor, trucidatos appoſuit epulandos Thyeſtæ fratri adultero.

Timodemidæ Tribus quædam, & familia Athenienſis, à Timodémo ducens originem: ex qua oriundus fuit alter Timodémus, nobilis pancratiaſtes. de quo Pindarus in Nemeis ode 2.

Tirynthiades dici poſſet Hercules (qui etiam dicitur Tirynthius) à Tirynthe Hali filia, quæ Amphitryónis fuit ſoror: Amphítryo autem Herculis pater putabatur. vel quia Tirynthe, vrbe Peloponnéſi, eſt natus.

Titacides eſt vicus Athenienſium (alio nomine Aphidnæ) in tribu Antióchide. ita dictus à Títaco, qui Aphidnas Dioſcúris prodidit.

Tithonides vel Tithoniades } Memnon (onis) Tithóni, & Auróræ filius, Æthíopum Rex, demum in cicádam conuerſus.

vel Emáthion (ónis) eiuſdem filius, à quo dicta eſt Emáthia, ideſt Macedónia.

Tlepolemidæ (vel ſecunda ob neceſſitatem producta) dicuntur Rhodij omnes, à Tlepólemo, qui apud illos regnauit.

Triopides (vel prima ob necessitatem producta) Erysíchthon (onis) Tríopæ, Regis Thessáliæ, filius: à quo nomen suscepit Triópion, Cáriæ oppidum. fuit autem Erysichthon lurco, & lasciuus, qui suis bonis malè absumptis, ad mendicitatem redactus est.

vel Agénor, & Iásus, & Pelasgus eiusdem filij. vel Phorbas (antis) Tríopæ itidem filius, vt ait Seruius, quamuis alij Príami filium faciant, Triopæ verò patrē.

Tydides seu Tytides } Diomédes Tydei filius ex Deíphile Adrasti filia, Rex Ætóliæ, & Danaorum fortissimus ab Achille, & Aiace Telamonio.

Tyndarides vel Pollux Tyndari filius, vt putabatur, pugil egregius; vel Castor (oris) frater, eques insignis, cuius equus Cyllarus appellabatur.

Tyndaridæ Castor, & Pollux, qui filij Tyndari credebantur, cum reuera Iouis essent filij gemini, ideoque Dioscúri appellati, seu Dióscori. hi tandem in sidus conuersi, quod Gemini nuncupatur, & prosperum creditur à nautis: sed tunc fulgor potius, quàm stella est: quem nos hodie S. Hermétem; siue vt Hispani, S. Telmum vocamus.

Tyrrhidæ Tyrrhei, seu Tyrrhi filij, tum mares, tum fœminæ, inter quas fuit Siluia, quæ ceruum alebat. Tyrrheus autem, seu Tyrrhus, fuit Latini Regis armentarius, eiusque pecoris custos, apud quem Lauínia, Regis filia, & Aenéæ vxor peperit Iulum Siluium Pósthumum.

V

Vespasianides Titus, vndecimus Romanorum Imperator, Vespasiáni Cæsaris filius, natu maior.

vel Domitiánus Titi frater, & in imperium successor, XII. Imperator.

Vlyssiades dici posset Telégonus, Agrius, & Latinus Vlyssis filij ex Circe.

vel Auson (onis, à quo *Ausónia)* Nausíthous, & Nausínous, Vlyssis etiam filij ex Calypso.

vel Euryalus eiusdem ex Euippa filius, quem ipse pater occidit.

Vranides Saturnus, & Titan fratres, Vrani, seu Cæli filij ex Terra.

vel Hyperíon (onis) Iápetus, Océanus, & gigantes omnes, seu Titánes eiusdem filij: qui Vránidæ dici possunt, & à Græcis etiam Vraniónes appellantur. inter quos fuit Briáreus, siue Ægæon (ônis) & Gyges eius frater, Cæli, Terręque filij.

Vriades Beséleel, filius Vri, qui Tabernaculo fabricando princeps *Architectus* à Deó destinatus est, vnà cum Oliab eius socio: ideoque vterque à Deo donatus fuit omni scientia, & arte fabríli.

Vulcanides seu Vulcaniades } Ardalus Vulcáni filius, à quo tibiam inuentam putant.

vel Corynéta latro famosissimus, eiusdem filius, qui iuxta Epidaurum hospites claua quadam (quæ Côryna

 di-

dicebatur) trucidabat: vnde & nomen sumpsit, cum prius Períphatus vocaretur; à Théseo tandem interfectus. idem fuit Æthiops appellatus, & Æthiopibus nomen dedit.

vel Brótheus eiusdem filius, qui propter oris deformitatem ab omnibus irrisus, in ignem se coniecit.

vel Erichthonius, eiusdem Vulcani filius, & à Cécropis filiabus enutritus: qui primus vsum currus inuénit.

VVollovviciadæ familia nobilis Littáuiæ, à VVollovviK fortasse ducens originem: inter quos fuit Præsul Vilnensis. Casimîrus noster ode 7. Epódon.

X

Xaueriades dici posset D. Franciscus Xauerius, qui id cognomen sumpsit à Xauerio, castello gentilitio totius familiæ.

Xuthides vel Xuthiades } Iōn (ōnis) Xuthi filius, Hellénis nepos: à quo Iónia regio est appellata.
vel Achæus eiusdem filius, à quo Achaia Græciæ regio fuit nuncupata.

Z

Zacharides vel Zachariades | D.Ioannes Baptista Zacharíæ filius, & Elísabet, Precursor Christi Domini.

Zecurides Zámmua, filius Zechur, de tribu Ruben.

Zemmiades vel Zemiades | Ioah filius Zemma, & vnus ex leuítis, iussu Regis Ezechíæ electis ad expiandum Domini templum, & ministrandum altari.

Zenaides dici posset quilibet Iouis filius, qui fuit Rex Cretensium, & post mortem Rex Deorum habitus ab éthnicis. ita dictus, quia græcè apud poëtas Ζεὺς (ζηνὸς) appellatur. filios autem triginta nouem habuisse fertur ex varijs mulieribus.

Zepœtides seu Zepœtiades | Nicomédes (is) Bithyniæ Rex, qui Nicomedíam condidit, & Romanorum maximè fuit studiosus, Zepœtæ, vel vt alij scribunt, Zelæ filius. hic ex Ditizéle, vxore Phrygia, suscepit tres liberos, qui nominati sunt Prúsias, Ziélus, & Lysandra.



A

ABantias Atalanta virgo venatrix, Abantis neptis, & Iäsij filia. v. Iasis.
vel insula Euboia, siue Eubœa; ita dicta ab Abante Euboico.

Abarnias adiect; vt mulier *A*barnias, ideſt nata Abarni, quæ vrbs eſt ad Propontidem, ſiue ad Helleſpontum ſita. Abarnias ora dicitur ipſa regio iuxtà hæc loca: vel promontorium Lámpſaci. v. Abarnis.

Achæias vel Achaias adiect; vt mater, ſeu puella Achæïas, ideſt Achæa, ſiue Achiua, aut Græca. Nonnulli etiam Achaias triſyllabum efferunt. v. Achæis.

Acheloïas quælibet Sirénum, Achelói fluminis filiarum ex Callíope Muſa. vel, vt ait Tzetza, ex Terpsíchore, ſeu Melpómene. eæ verò tres eſſe dicuntur, *Parthénope*, Leucóſia, *Ligía*, ſeu *Ligéa*. v. Achelóis. Ita etiam appellari poteſt Callírhoë Achelói fluminis filia, Alcmaéonis vxor.

Acherontias adiect; vt vnda *A*cherontias, ideſt aqua Acherontis fluuij, qui dicitur eſſe vnus *I*nferorum.

Acherontiades dici poſſunt tres Furiæ, ideſt Alecto, Tiſiphone, & Megæra; Acherontis, & Noctis filiæ.

Acheruſias adiect; vt ora Acheruſias, ideſt promontoriũ Bithyniæ, *A*cheruſium nomine, ad Pontum Euxínum, vel circa Heracléam Pónticam: ab illo autem defluit Ache-

Acheron fluuius, & palus Acherusias.

Actias adiect; vt Actias Orithyia, quæ fuit Erichthei Athenarum Regis filia, à Bórea rapta: Actias dicta, quasi Attica, seu Atheniensis; Acte enim olim dicebatur Attica, regio Græciæ nobilissima.

Adonias dicta est Venus, fortasse ab Adóne puero, ab ipsa adamato.

vel adiect; vt arbor Adonias, idest Citrus, ita fortasse dicta ab Adonio, siue Adonide fluuio, qui ex Líbano monte profluit, vbi arbor prædicta maximè prouenit.

Adrias adiect; vt vnda Adrias, idest maris Adriatici (hodie golfo di Venetia) ita dicti ab Atria, siue Hádria, vrbe Picéni agri, vulgò Adri.

Aeneas epith. Veneris, vt Ara Veneris Aeneados: ita dictæ, quia mater fuit Aenéæ. potest etiam corripi secunda extrito iota, vt in masculino Aeneades.

Aeetias & Aëtias | Medéa Æétæ, seu *Aëtæ* Regis Colchorum filia: quæ Absyrtum fratrem primò, deinde duos filios, nempe Mérmerum, seu *Mó*rmorum, & Pherétem trucidauit; fratrem quidem, ob Iásonis amorem, filios autem in odium ipsius Iásonis viri sui, eorumque patris.

Agragantias adiect; vt ora, seu tellus Agragantias, idest Agrigentum, Siciliæ vrbs antiquissima, hodie Girgenti.

Agriades dicuntur nymphæ agrestes, siue in agris degentes: nam ἀγρὸς est Græcis ager.

Alcmæonias adiect; vt cupressus Alcmæonias. v. Alcmaéonis.

Alexias poëma de D. Alexio, ciue Romano, Euphemiani filio, qui prima nuptiarum nocte thalamo, nuptaque relictis, domo profugus abijt.

Aloysias poëma de Diuo, seu de B. Aloysio. vel adiect; vt virtus Aloysias.

Alpheias Arethûsa nympha, Dianæ comes, quæ ab Alphéo, Elidis fluuio, adamata, eum fugiens, in fontem sui nominis conuersa fuit, & Syracusas delata.

Alyssias adiect; vt vnda Alyssias, idest Alyssi fontis in Arcádia apud Cynęthaënses: cuius aquæ haustu sanantur vulnera, & rabies à canum morsibus inducta.

Amnisias adiect; vt nympha Amnisias, idest Cretensis. v. Amnísis.

Amphrysias adiect; vt vnda Amphrysias, idest Amphrysi fluminis Thessálię, seu Magnésię; iuxtà quod Apollo pauit armenta Adméti Regis. Amphrysias, siue Amphrysia vates (idest Apollinea) dicitur Sibylla. Amphrysius pastor est ipse Apollo.

Anias quælibet ex tribus filiabus Anij, & Doríppes: quarum nomina sunt Spermo (ûs) Oeno (ûs) Eláis (idis) quibus impertiuit Dionysius, seu Bacchus, vt quicquid tangerent, in triticum statim verteretur, & vinum, & oleum. id enim ipsum indicant eorum nomina: σπέρμα enim est græcè semen, seu granum: οἶνος est vinum: ἐλαῖα verò est ólea, siue oliua. quare Cænótropæ sunt dictæ, quasi in nouas formas omnia vertentes. Anias verò, & Aniades plur. possunt primam producere ob necessitatem.

Anigriades nymphæ Anigri fluminis Thessáliæ.

Antias epith. Fortunæ, quæ dici ſolet Antias Dea ab Antio, maritimo Latij oppido, vbi celeberrimum habebat templum.

Antiades naues, ſeu rates; vel Antias claſſis, dici poſſent illæ, quarum roſtris forum Romanum ornatum erat: deleto enim Antio, eius nauium roſtra in foro affixa ſunt.

Aphrodiſias Lacóniæ vrbs, ab Aenéa extructa: ita dicta à nomine Veneris, Aenéæ matris, quæ à Græcis appellatur Aphrodíte. ſunt & aliæ vrbes, & inſulæ hoc nomine.

Apollonias (tertia poteſt ob neceſſitatem breuiari) adiect; vt Daphne, ſeu laurus Apollonias, ideſt Apollínea: fuit enim Daphne puella ab Apolline adamata, & in laurum tandem conuerſa.

Appias dicta eſt Pallas, Venus, Pax, Concordia, Veſta: quia ad Appias aquas illis Deabus templum erectum erat propè Cæſaris forum. quare omnes illæ dicuntur Deæ Appiades.

vel adiect; vt aqua Appias, quam ſcilicet Appius Cenſor eò duxit, vbi poſtea forum Cæſar extruxit.

Arethuſias adiect; vt vnda Arethuſias, ideſt Arethúſæ fontis, ad litus Syracuſanum ſcatentis. vel fœmina, ſeu rēs quælibet Syracuſana.

Ita Diua Lucía, virgo, & martyr Syracuſana, poteſt appellari.

Aretias inſula Martis in Scythia iuxta Moſſynœcos populos, in quam aues Stymphálides fugatas ait Apollonius Rhodius. ita dicta ab Otréra Martis filia. ἄρης enim græ-

graecè dicitur. Mars. sic etiam per appositum appellatur ab eodem Apollonio Menalippe Antíopes, siue Hippólytę Amázonum Reginæ soror, ab Hercule in bello capta, quæ quidem Martis filia fuit, vti & reliquæ Amázones, quæ è Martis, & Harmóniæ, nymphę Náidis, genere fuisse dicuntur, vt scribit Pherecydes, quem sequitur Apollonius.

Asclepias Iäso (ûs, vel ónis) Asclepij, siue Aesculapij filia.

Asclepias dicitur herba quaedam folijs éderae similibus: quia fortè ab Asclepio inuenta.

vel adiect; vt ars Asclepias, idest medicina; potio, vel medéla Asclepias, idest médica, & salúbris. ita dicta ab Asclepio, qui Deus medicinae putabatur.

Asias appellatur per epítheton Cybele, Deorum mater: fuit enim ex Phrygia, quæ est Asiæ minoris regio. Asias ora dici posset Asia maior, vna ex orbis partibus.

Asias etiam dicebatur apud Græcos cíthara quædam, quam formauit Cepio Terpandri discipulus. ita dicta, quod Lesbij fidícines, *Asię* cultores, ea vtebantur. v. Asiatis.

Asterionias. v. Asteriónis.

Athamantias Helle Athamantis filia, soror Phrixi, quæ décidens in mare, Hellesponto nomen dedit.

Athoïas adiect; vt nympha, seu rupes Athoïas, ita dicta ab Atho *Thrácię* monte: quem Xerxes abscidisse fertur, & nauibus peruium fecisse.

Athonias adiect; vt Sithónia Athonias: ita dicta, quia Sithonia est regio *Thráciæ*, propè montem Athon.

quare

quare & ipſa Thracia, ſeu Thrace ſic poſſet appellari.

Atlantias Calypſo, vt aliqui cenſent, Atlantis filia. Poteſt etiam intelligi quęuis Heſperidum. v. *Atlantis*. vel adiect; vt rupes Atlantias, ideſt mons ipſe Atlas in Mauritánia. ora Atlantias, ipſa Mauritania dici poteſt.

B

Bacchias adiect; vt vua Bacchias, à Baccho eius inuétore.

Belias Dido (ónis, vel dûs) Carthaginis Regina, Beli Tyriorum Regis filia. v. Belis.
vel Hypermneſtra, Beli neptis, Dánai filia, quæ à Lynceo, ſeu Lino viro ſuo manus abſtinuit, cum reliquæ quadraginta nouem ſorores totidem viros vna nocte occidiſſent: quæ inde Beliades dici poſſunt. v. Bélides.

Bellerophontias dici poſſet Laodamía (altera ab illa Proteſilái vxore) Bellerophontis filia, quæ cum Ioue genuit Sarpédonem Lyciæ Regem: ſed tandem à Diana telis confixa perijt.

Bethlemias adiect; vt rupes, vel ora Bethlemias, pro Bethlémica; ideſt mons Bethleem, vel ipſa ciuitas.

Biblias, ſeu *Biblis*, fons eſt Miléti, ſeu Miléſiæ; ita dictus à Bíblide, ſeu Bible, Mileti, & Cyánees filia (fuit quidem Cyánee, ſeu Cyanea, nympha, Mæandri fluminis filia) quæ Biblis, ſeu Bible impuro Cauni fratris amore æſtuans, ab illo repulſa, laqueo gulam fregit; &

in fontem sui nominis mutata fuit. unde prouerbium, amor Caunius, ideſt amor turpis, ſeu illicitus, vel etiã non mutuus, nec reciprocus.

Boebias eſt palus quædam Laceríæ, ſeu Lacereæ, vrbis Theſſáliæ (alijs Magnéſiæ) ita dicta à nympha Boebiade. ad huius paludis ripas habitabat Corónis Aeſculapij mater.

Boreas adiect; vt Arctos Boréas, ideſt Borealis; ab Arcto enim, ſiue à Septentrione ſpirat Bóreas ventus.

Bromias adiect; vt vitis Bromias, ideſt Bácchica: Bacchus enim dicitur Græcis Bromius, ideſt fremebundus. vitis autem fuit Baccho ſacra.

Byblias v. Biblias.



Car-

C

Carneas adiect; vt ara, seu pompa Carneas, idest Apollini Carnéo sacra. Carnéus autem dictus Apollo fuit à quodam suo vate, qui Carnus appellabatur.

Caspias adiect; vt vnda Caspias, idest Caspium mare inter Caspios, & Hircános montes. Caspiades portæ, seu petræ, idest angustiæ Caspij montis, vel mons ipse. Caspiades canes, idest Scythicæ, & Caspianæ, quæ ferissimæ sunt.

Centaurias adiect; vt Centaurias rapina, vel pugna, idest Centaurorum, qui fuerunt Thessáliæ populi, & cum Théseo, ac Pyríthoo dimicarunt, cum huius sponsam rapere conati sunt. v. Centauris.

Cephaledias seu Cephalœdias adiect; vt Cephaledias ora, idest Cephaledium oppidum, seu litus Cephaleditanum in Sicília, hodie Cefalù.

Cepheias Andrómeda Cèphei, Aethiopum Regis, filia, Persei vxor.

Cephisias seu Cephissias. adiect; vt ora Cephisias, idest Bœótia: quæ regio à Cephíso, seu Cephisso, Boeotiæ fluuio alluitur. vnda Cephisias, idest aqua Cephisi fluminis. fuit & Tribus quædam Boeotiæ, dicta Cephisias, seu Cephissias ab Eteocle eius Rege, Cephisi amnis filio, vt credebatur. v. Cephísis.

Chelydoreas adiect; vt lyra, seu testudo Chelydóreas, idest Mercurij, qui testudinem in Chelydórea monte repertam ad lyræ formam redegit.

Chesiades dictæ sunt nymphæ fluminis Chesij, quod est in insula Samo.

Christias poëma de Christo Domino, quale est illud Hieronymi Vidæ Cremonensis continens sex libros. vel res alia ad Christum pertinens; vt fides, religio, & c.

Cisseiàs Oenóne Císsei filia, Melanthij Indorum principis mater.

Cindyas dicta est Diana apud Bargyliétas Asiæ populos (alijs Cyndias) fortasse à Cyndo fluuio in Hellesponto. eius simulacrum sub diuo positum, neque niue, neque pluuia contingebatur vnquam, vt fabulantur.

Cleartias adiect; vt arbor Cleartias, idest Citrus: fortasse à Clearto palude Marmáricæ, quæ est Africæ regio. in Africa autem, & præsertim in Atlante monte nascitur hæc arbor, ex qua cítrinæ, seu cédrinæ mensæ fiunt.

Colias epith. Veneris, quæ in Cólia, seu Coliade, Atticæ promontorio, colebatur.

Conradias poëma de Diuo Conrádo Eremíta, qui Neti in vrbe Siciliæ (hodie Noto) maximè colitur.

Cottiades dici possunt Alpes, Italiæ montes: earum enim pars, quæ inter Austrum est, & Septentrionem à monte Vésulo ad montem vsque Cinísium (vulgò mõte Cenise) dictitantur Alpes Cóttiæ, seu Cottianæ, à Cottio Rege, qui ibi regnauit.

Creniades dicuntur ab Alcæo poëta Græco nymphæ fontánæ, seu fontium: κρήνη enim fons est. has Theócritus Dóricè Craniadas appellat. v. Crénides.

Croniades adiect; vt Croniades horæ, idest dies Saturnales apud Plutarchum: nimirum Saturnalia festa septem, vel quinque dierum, mense Decembri, Saturno dicata, qui græcè dicitur κρόνος.

Crotonias adiect; vt mulier Crotonias, ideſt ex Crotóne Calábriæ vrbe, apud quam Pythágoras docebat. quare eius ſecta, Crotonias, dici poſſet.

Cydonias adiect; vt mulier, ſeu res Cydonias, ideſt Cretenſis. ita dicta à Cydóne eiuſdem Cretæ oppido, à Minóë Rege condito. Cydonias arbor, ſeu malus, eſt malus Cotónea (Ital. melocotogno) quæ ita dicitur ab eodem oppido, quod ijs malis, ſiue arboribus abundat.

Cyllenias adiect; vt harpe Cyllenias, ideſt falcatus Mercurij gladius: Mercurius enim Cyllenius dicitur à Cylléne monte Arcádiæ, vbi natus eſt. v. Cyllénis.

Cyndias v. Cindyas.

Cynthias adiect; vt capra Cynthias, ideſt ex monte Cyntho, qui ſurgit ex Delo monte.
vel Diana, quæ in Delo inſula nata dicitur.

Cythereias adiect; vt columbæ Cythereiádes, quia ſacræ ſunt Veneri, quæ Cytheréa dicitur, à Cythéris inſula, in quam illa primùm conchâ marina fertur aduecta. vel, vt alijs placet, à Cytheróne monte.

Cythæroniades ſeu Cythæriades — Muſæ ita dictæ à Cythærône, monte Boeótiæ, Muſis ſacro. Cytheriades, ſeu Cythereides nonnulli ſine aſpiratione ſcribunt, & pro Muſis accipiunt.

Cytorias. v. Cytóris.

Dau-

D

Daulias adiect; vt Daulias ales, ideſt hirundo, antea dicta Progne, filia Pandíonis, Regis Athenarum, vxor Terei Thracum Regis. vel Philoméla, olim ſoror Prognes, nunc luſcínia (Italicè *Ruſignuolo*) ita dictæ ab oppido Dáulide, olim ſub ditione *Terei*: quo in loco mutatæ fuerunt in aues. Daulias terra, ſiue ora, dicitur ipſa Daulis, vrbs Phócidis.

Daunias adiect; vt Daunias ora, ideſt Apúlia, ſeu Calábria. fuit enim Apulia ſic appellata à Dauno Illyricæ gentis viro illuſtri, qui eam condidit.

Daunias lyra, ſeu Muſa dici poteſt poëſis Horatiana: Horatius enim propè Dáuniam, ſiue Apúliam natus eſt; nam de ſemet ipſe canit: Lucanus, an Appulus anceps.

Delias adiect; vt Delias ora, ideſt inſula Delos, vbi Apollo, & Diana dicuntur fuiſſe geniti.

Delias etiam poteſt dici Diana, in ea inſula nata. vel quæuis mulier ibidem orta.

Demetrias Theſsáliæ oppidum, quod prius Págaſa dicebatur: ita dictum à Demetrio, qui in eo regnauit. Demetrias item dicitur Paros inſula, vna Cycladum, pario lapide celebris, ita etiam dicitur Tribus quædam in Attica regione.

Dionyſias adiect; vt édera Dionyſias, ideſt Bácchica, ſeu Baccho ſacra.

Ita etiam appellata eſt Naxos, ſeu Dia inſula, à vinearum fertilitate; vbi Bacchus Ariadnam coronauit. Ita quoque appellatur fons quidam in Meſsénia propè

pè Pylon vrbem, quia cùm ibi terra esset à Libero patre percussa thyrso, statim erupit ille fons. Demum sic appellatur herba quædam, & lapis quidam niger, ebrietati resistens.

Dionysiades etiam dicuntur insulæ duæ circa Cretam, quia fortè Baccho sacræ: quin & Bacchæ ipsæ, seu Bacchi Sacerdotes; Bacchus enim Dionysius etiam appellatur.

Dioscurias seu Dioscorias adiect; vt petra, seu arx Dioscurias, idest promontorium Dióscorûm, seu Cástorum (quod etiam Lacínium dictum est) in Italia, vbi celebre Iunonis Lacíniæ templum. Dioscorias stella, seu fax, dici potest vnum ex duodecim signis cælestibus, quod *Gémini* appellatur: in hoc enim Castor, & Pollux fratres gemini (qui græcè Dioscúri, seu Dióscori dicuntur, idest Iouis filij) conuersi fuêre, vt fabulantur.

Dioscorias etiam appellatur vrbs Colchórum, quam condiderunt Amphitus, & *Telchius* (Strabóni verò Rhecas, & Amphístratus) aurígæ Cástoris, & Pollúcis: à quibus *Heniochorum* gens orta est: ἡνίοχος enim dicitur auriga.

Dodonias adiect; vt Dodonias columba: ita dicta à silua Dodóna. v. Cháonis.

Dryades nymphæ siluarum, nemorumque: δρῦς enim græcè est quercus, seu arbor. v. Hamadryades.

Echi-

E

Echinades insulæ, *A*carnániæ adiacentes, ante Ætóliam, contra ostium Achelói fluminis: inter quas est Dulíchium. ita dictæ vel ab Echinórum copia, vel ab Echíno vate.

Elias adiect; vt Elias ora, idest *Elis* Græciæ regio. Equæ Eliades dicuntur, quæ ad Elidem Peloponnési oppidum, certamine curúli palmas merebantur.

Engaddias adiect; vt planta, siue arbor Engaddias, idest bálsamum, ita dictum, quia *Engaddi*, siue Engaddum, ager erat Iudçæ, vbi balsamum florebat: quæ dicebantur Engaddi vineæ.

Ephydriades dicuntur nymphæ fontium; ὕδωρ enim est aqua.

Ephyreias adiect; vt puella Ephyreiás, idest Corinthia, olim enim Corinthus Ephyra dicta fuit. quare & *ipsa* Corinthus Ephyreias ora dici potest. sic autem appellabatur ab Ephyra nympha, *O*céani, & Tethyos filia, Epiméthei vxore. licèt alijs ipsius Epimethei filia, non vxor dicatur.

Epimeliades sunt nymphæ arborum pomiferarum: ita dictæ, quia μῆλον, seu malum, est pomum.

Erymanthias adiect; vt nympha, seu Musa Erymanthias, idest Arcas: nam Erymanthus est mons Arcádiæ.

Erythrias adiect; vt vnda Erythrias, idest Erythræum mare, vbi corália nascuntur: quare Erythrias planta dici potest frutex ipse coralia germinans. v. Erythréis.

Esse-

Essenias adiect; vt ora Essenias, ideſt regio, vbi Eſséni, ſiue Eſſaei, Palaeſtínæ populi habitabant. v. Eſsénis.

Eurotias. v. Eurôtis.

Evhyas vel Euias } quæuis Baccha, ita dicta à Baccho, qui inter alia cognomina dicitur Evhyus, ideſt bonus filius: in leonem enim conuerſus Iouem patrem ſuum defendit in prælio Gigantum. vel quia Bacchi ſacrificulæ inter orgia εὐοῖ, hoc eſt euoe ſæpius inclamabant. Euias vitis dicitur, ideſt *Bácchica*; erat enim Baccho ſacra.

F

Feſcennias adiect; vt Muſa Feſcennias, ideſt laſciua, & obſcœna poëſis: Feſcenníni enim verſus huiuſmodi erant; & canebantur à pueris prætextatis. at eos cantaturi prætextam deponebant; ne pudorem, & ius eius violarent. ita dicti à Feſcennio, ſeu Feſcénnia, vetuſto *Etrúriæ* oppido.

Francias poëma de Fránciæ calamitatibus, à P. Balde, Soc. Ieſu conſcriptum.

Franciſcias poëma de D. Franciſco. vel adiect; vt proles Franciſcias, ideſt familia religioſa à Diuo Franciſco Aſſiſiáte inſtituta.

G

Glottiades nymphæ Glottæ fluminis in Scótia.

Gnosias & Gnossias } idest Cretensis fœmina, seu res Crética, ita dicta a Gnoso, seu Gnosso vrbe Cretæ. ita etiam appellatur Ariadna Minóis Regis filia, à Théseo rapta, quæ fuit Cretensis.

Goniades dicuntur nymphæ, quæ iuxta Cythérium flumen, & Heracléam vrbem sacellum habebant. earum aquis fama fuit ægros sanitati pristinæ restitui. ita verò appellantur fortasse à græca voce γωνία, idest angulo, quasi angulares nymphæ.

Goniades etiam dici possunt nymphæ Gonij montis in Sicília, qui aliàs dicitur mons Rosarum, iuxta Biuónam Siciliæ vrbem: cuius montis dominus olim fuit Sinibaldus, D. Rosalíæ virginis Panormitanæ pater.

Grampiades nymphæ, vel Musę, idest Grampij montis Británniæ, seu Scótiæ.



Ha-

H

Hadrias v. Adrias.
Hadryades. v. Hamadryades.

Hamadryades vel Hadryades per syncopen | nymphæ dicuntur némorum, siue arborum: ita dictæ ab ἅμα, idest simul, & δρῦς, idest arbor, seu quercus; quia cum arboribus, & oriuntur, & óccidunt.

Helcias Susanna, *Helciæ* filia, vxor *Ioa*Kim.

Heliades dicuntur filiæ Solis, & Clymenes, Phaëthontis sorores. Sol enim græcè dicitur ἥλιος. v. Phaëthontiades. Earum nomina sunt Phaëthûsa, Lampétia, Lampethûsa. inter Solis autem filias numerantur etiam Pasíphaë, Minóis vxor; Circe maga, Æétæ soror; & Rhodus, à qua nomen insulæ datum. licèt alijs Circe sit Solis neptis: faciunt enim filiam Persæ, qui fuit Solis filius. at Apollonius Rhodius lib. 4. Argon. filiam Solis, & *Perses* mulieris eam esse scribit.

Heliconiades dicuntur Musæ à monte Phócidis *Helicó*ne, ipsis sacro. v. Helicónides.

Helissiades v. Hilissiades.

Hellas *Græcia* dicitur ab Helléne, Deucaliónis filio.

Herodias vxor primùm Philippi, deinde Heródis Antipæ fratris Philippi mortui. ita dicta fortasse ab Herodum familia. alijs verò est nomen proprium.

Hephæstiades dicuntur insulæ Æóliæ, seu Vulcániæ inter Itáliam, & Siciliã. ita dictæ à Vulcáno, qui græcè dicitur ἥφαιστος. sunt autem numero septem, videlicet Lípara,

Therásia (siue Híera, seu Thermessa) Stróngyle, Euónymos, Dídyme, Ericûsa, Phœnicûsa. hodie Lípari, Vulcáno, Stróngoli, Lisca bianca, Salíni, Alicúri, Felicúri vulgò appellantur.

Hessenias. v. Essenias.

Hilissiades (alijs Helissiades) dicuntur Musæ ab Hilisso Atticæ flumine, Musis grato, ac sacro. v. Ilissias.

Hiphias. v. Iphias.

Hyades dicuntur septem filiæ Atlantis, & Æthræ, quæ fuit filia Océani: ita dictæ à fratre, qui dicebatur Hyas (antis) quem à leæna interemptum cum assiduè deflerent, in stellas conuersæ sunt, & affixæ in cornibus Tauri. vel ita dictæ à verbo græco ὕω, idest pluo, quia ortu, occasuque suo pluuias concitant. quidam latinè súculas appellant; idest paruas sues, quia veluti pórculæ delectari videntur luto, quod à pluuia generatur. v. Dodónis,

Hydaspiades adiect; vt nymphæ Hydaspiades, idest Hydaspis, fluminis Indiæ.

Hydrias est regio Græciæ, vnde Mársyas amnis defluit in Mæandrum fluuium.

Hydriades nymphæ aquarum, ὕδωρ enim græcè dicitur aqua. v. Ephydriades.

Hymettias adiect; vt rupes Hymettias, idest Hymettus Atticæ mons, apibus frequentatus. quare ales Hymettias dici posset apis.

Iās adiect; vt terra Iās, ideſt Iónia regio. Iās lingua, ſeu dialectus, ideſt *Iónica*.

Ĭdrĭăs vrbs Cáriæ, quæ prius Chrysáoris appellabatur: ita dicta ab Idria Chrysáoris filio.

Idrias etiam eſt nomen gentile fœmineum, quo intelligitur fœmina huius ciuitatis.

Īephthĭăs Iphis (idis) filia Iephthæ, qui fuit Hebræorũ dux aduersùs Ammonítas. Hanc ipſe pater ab expeditione reuerſus, obuiam ſibi factam immolauit, vt iuſiurandum conſeruaret. Eius autem mater, Storge, appellabatur.

Īeſſĭăs Beata Virgo María, à Ieſſe Rege trahens originẽ. v. Ieſſéis.

Īlĭăs quælibet mulier Troiana, ex *Ilio* præcipua vrbe Troiæ. ita etiam dicta eſt Minerua, quæ apud Troianos maximè colebatur: cui mille boues immolauit Xerxes, vt refert Heródotus.

vel poēma de Ilio, quale illud *Homéri*. hinc Ilias malorum prouer; ideſt calamitates maximæ, & plurimæ, quales in Homérica Iliade recenſentur. Fuit & aliud poēma græcum, cui titulus, Ilias parua, de quo mentionem facit Pausánias. ſcripſit item de Ilij excidio Stesíchorus, poēta Siculus, patriâ Himerenſis: & alij plures.

Īgnātĭăs poēma de Díuo Ignatio Loióla, Societatis Ieſu fundatore, quod ſcripſit *Pater le Brun* Gallus. vel res aliqua ad ipſum pertinens, vt Religio Ignatias, ideſt ipſa Ieſu Societas.

Iliſſi

Ilissiades dicuntur *Musæ* ab Ilisso Atticæ fluuio, Musisque sacro, quarum ara est in eius ripis. v. Hilissiades.


Iŏnias adiect; vt vnda Iŏnias, idest Iŏnium mare, Adriatico proximum. ita dictum vel ab Iŏnio, siue Ióne Dyrrhachij, seu Dyrrachi filio; vel ab Ióne quodam Adriæ filio, qui deinde mari Adriatico nomen fecit.

Iphias Euadne filia Martis, & Iphiæ, seu Thebes, vxor Capánei: quæ ob amoris vim in rogum mariti se proiecit. Iphias etiam nomen est cuiusdam fœminæ, quę fuit sacerdos Dianę.

Istmias vnum è quatuor certaminibus Græciæ, ab Isthmo Corinthi nomen habens.

vel adiect; vt ora, vel vnda Isthmias, idest Corinthíaca. corona, seu victoria Isthmias, idest Isthmíaca, seu parta in Isthmijs.

Itonias dicitur Pallas. v. Itónis.



Laci-

L

Lacinias dicta est Iuno à Lacinio, Italiæ promontorio, vbi colebatur.

Ladonias Thelpûsa, seu Thelphussa nympha, Ladónis Arcâdiæ fluuij filia, à qua dicta est, Thelpúsa, seu Thelphussa, Lycóphronis vrbs in Arcadia, & Thelpusij populi.
vel adiect; vt Daphne, seu laurus Ladonias, quia Ladonis filia Daphne dicitur fuisse: alijs verò Penéi fluminis.

Laomedontias *Antígone* Laomedontis, Troianorum Regis filia, quæ ob formæ pulcritudinem ausa fuit Iunoni se præferre, à qua irata in Cicóniam auem conuersa fuit. quare Laomedontias ales, seu volucris, dici potest ipsa Ciconia.

Laomedontias etiam dicitur Hesíone Laomedontis filia, Príami soror, quæ ceto exposita, ab Hercule liberata fuit.

Latmias adiect; vt rupes Latmias, idest Latmus, seu Latmius mons Cáriæ, siue Ióniæ. specus Latmias erat antrū eiusdem montis, quod frequentare solebat Luna, vt ibi Endymiónem sopitum oscularetur.

Latoias dicitur Diana Latónæ filia: *Latona* enim græcè Λητὼ appellatur.

Lelantias Aura virgo Phrygia, comes Dianæ, filia Lelanti, & Periboeæ: quæ Baccho peperit geminos partus, quorum alterum vorauit, alterum educauit, & Bacchum itidem appellauit: quare hic Bacchus dicitur Nonno poëtæ Græco tertius, seu tertiò genitus; nam

eius

eius pater bis genitus fuit. ſed Aura in fontem denique mutata eſſe fertur.

Lemnias Hypsípyle, ſeu Hypſipyléa filia *Thoantis*, qui regnauit in Lemno, inſula maris Ægæi. v. Thoantias.

Lemniades dicuntur mulieres Lémniæ, quæ cum Véneris ſacrificia ſpreuiſſent, tantum illis fœtorem, oris præſertim, ea excitauit; vt à ſuis marítis contemnerentur, qui ad captiuas *Threiſſas* amorem contulerunt. quare Lemniæ mulieres ex compoſito maritos ſuos, & captiuas fœminas vnà cum illis per noctem iugularunt: imò & filios obtruncarunt, ne adulti iniuriam vlciſcerentur.

Lemonias. v. *Limonias*.

Lesbias dici poteſt *Sappho* ex inſula Lesbo, vbi nata eſt. vel quælibet alia ex illa inſula.

Libethrias fons nympharum, qui in Libethrio Bœótiæ monte fluit.

Libethriades dicuntur nymphæ dicti fontis. vel Muſæ, quibus eius aquæ ſacræ erant. v. Libethrides.

Libyſtias adiect; vt ora Libyſtias, ideſt Libya, ſiue Africa.

Lichades dicuntur tres inſulæ in mari Eubóico à Licha Herculis puero, quem Hercules iam furens in hoc mare præcipitauit.

Ligyſtias ſeu Liguſtias adiect; vt terra Ligyſtias, ideſt *Ligúria*, *Italiæ* regio, hodie Riuiera di Génoua.

Limnades ſeu Limniades nymphæ ſtagnorum, ſeu lacuſtres: λίμνη enim, ſeu λίμνη ſtagnum, ſeu lacum ſignificat. v. Limnátis.

Limonias seu Lemonias } quælibet nympha prati. Apoll. Rhodius lib. 2. Argonauticorum.

Limoniades nymphæ ſunt florum, & pratorum, ita dictæ à pratis, quæ Græci vocant λειμῶνας.

Lycambias Neobúle filia Lycambis Thebani, quam cum pater Archílocho poëtæ deſpondiſſet, poſteáque facti pœnitens recuſaret; tam acri iambo Lycambes fuit ab Archilocho perſtrictus, vt doloris impatientia vnà cum filia laqueo vitam finierit.

Lycades, ſeu Lychades, v. Lichades.

Lycomedias Deidamía Lycomédis, in Sciro inſula Regis, filia, quæ Achilli Pyrrhum genuit.

Lycomediades dici poſſunt filiæ omnes prædicti Lycomédis: inter quas muliebri habitu delituit Achilles, Thétidis matris ſuæ iuſſu; ne ad bellum Troianum proficiſceretur.

Lyrneſſias adiect; vt mulier Lyrneſſias, ideſt à Lyrneſſo, Phrygiæ oppido. hic nata eſt Briséis, Achilli dilecta. v. Lyrneſſis.

M

Madianias Séphora vxor Moſis de terra Mádian. vel quæuis alia eiuſdem regionis. v. Madianítis.

Macriades adiect; vt ſpeculæ; ſiue arces Macriades, ita dictæ ab inſula Macra, quæ eſt in ſinu Carciníte Scythiæ Europæ, iuxta Pontum Euxínum. quin & Ma-

ciónes dicti sunt gens Póntica, seu Scythica, Euboeensium colonia, vnde nomen acceperunt. Eubœa enim *Macris* olim appellabatur. Apollon. Rhodius. vel à Mácria, siue Mácride, quę est insula Rhodiorum.

Ita etiam dici posset *Apennínus* Italię mons, vnde fluit Macra fluuius, Ligúriam diuidens ab Etrúria. Macrias vnda est ipsum flumen.

Mænades dicuntur Bacchę mulieres, Bacchi sacerdotes; ita dictę à verbo gręco μαίνεσθαι, quod est insanire.

Magnesias adiect; vt *Magnesias* Argo. v. Magnésis.

Marsyades dici possunt nymphæ illæ, quę Mársyam tibicinem ab Apolline occisum deflentes, suis lacrymis Mársyam, Phrygię fluuium, auxerunt.

Maurusias adiect; vt terra, vel ora *Maurusias*, idest *Mauritánia*, extrema Afrıcę regio. v. Maurúsis.

Melanthias quęlibet mulier ex insula *Melantho*. *Melanthias* vnda dici posset fluuius Cappadócię, Melanthus nomine. item Vesta Melanthias, quia fanum habuit in Melanthio Syrię monte.

Meliades, seu Mélię nymphę dictę sunt, quę apud Méliam vrbem Thessálię, Trachíni vicinam, colebantur.

Melias terra, seu *Mëlinum*, dicitur terra coloris cinericij, quę in Melo Cycladum insula reperitur.

Meliades, seu *Mélię* dicuntur nymphę fraxinorum; vel quia cum fráxinis nascuntur; vel quòd ipsas ament. μελία enim gręcè dicitur fraxinus. secunda tamen syllaba ob necessitatem produci potest; quod fecit Apollonius in voce Sintias.

Melissias Amalthêa, & Melissa, filiæ Melissi, Regis Cretensium. v. Melissis.

vel

vel adiect; vt mulier Melissias, idest à Melissa, quæ est urbs Líbyæ.

Methymnias, idest mulier Methymnæa, seu Lésbia: Methymna enim est vrbs Lesbi.

Mincias adiect; vt vnda Mincias, idest Mincius Mántuæ flumen. Minciades Musæ, idest Virgilianæ; fuit enim Virgilius poëta *Mantuanus*.

Mineiäs Alcíthoë Mínei Thebani filia, cuius sorores, Mineides etiam dictæ, in vespertiliones vnà cum ipsa sunt mutatæ; quia Bacchi orgia aspernabantur.

Minoias v. Minóis.

Minyas (vel prima ob necessitatem producta) Clymene, Céphali vxor, Mínyæ filia. fuit & alia Clymene, Océani filia, *Iápeti* vxor; alia verò coniux Solis, Phaëthontis mater.

Minyas adiect; vt fœmina, vel ora Minyas, idest Thésfala; ita dicta à Minya, quæ est vrbs Thessáliæ, cui nomen dedit Minyas Chrysæ filius, Orchomeniorum Rex.

Potest item, ora Minyas, dici Boeótiæ pars, cuius populi Minyæ dicebantur.

Minyas etiam dicitur poëma Myrónis Byzantij, poëtę Epici, & Elegi, quia fortè de Minyis agit, qui & Thessaliæ, & Boeótiæ populi fuerunt. ibi etiam de Orco scripsit, deque inferorum terroribus.

Minyades (vel prima ob necessitatem producta) sorores tres, Minyæ Regis filiæ; idest Leucippe, Alcippe, & Alcíthoë, quæ asílo, seu oestro stimulatæ, infantulum Leucippes, quem hinnulum putabant, discerpserunt.

Mitylenias quælibet res, vel mulier ex vrbe Mitylénе,

imò ex tota inſula Leſbo, quæ ita etiam appellatur à nomine huius vrbis, olim nobiliſſimæ.

Myſias adiect; vt nympha *My*ſias, ideſt à Myſia, quæ eſt regio minoris Aſiæ, Tróadi contermina.

N

Naiades & Naiádes | ſunt nymphæ fluuiales, ac fontanæ; ſeu fluminum, ac fontium: ita dictæ à verbo græco νάειν, quod eſt fluere. v. Naides.

Naxias adiect; vt mulier, ſiue ora Naxias, ideſt à Naxo inſula in mari Ægæo, aliàs Dia. Naxias corona, ſeu ſtella dici poteſt corona Ariadnæ, in Cælum translata.

Nemeas eſt ludus, ſeu certamen Nemeorum, vnum ex quatuor græcis certaminibus.
vel adiect; vt corona Nemeas, quæ erat ex apio (*Italicè* petrosémolo) & eiuſmodi victoribus donabatur.

Nepheleiás Helle Athamantis, & Népheles *filia*. v. Nepheléis.

Neſias adiect; vt nympha Neſias, ſeu Muſa Neſias, ideſt Itala, ſeu Neapolitana. nam Neſis (idis) ſeu Neſium eſt inſula in Campáno litore inter Pausílypum, & Putéolos, vulgò Niſita.

Neſſias ſeu Neſias | adiect; vt res, ſeu fœmina Neſſias, ideſt Catanenſis, ſeu *Sicula*. ita dicta à Neſſa (aliis Ineſſa, ſiue Innéſa, vel Ineſſum) quod fuit oppidum montanum in ipſa Ætna. pérperam autem appellatur à quibuſdam Néſia, ſeu Níſia Ætnæ regio montana.

Nilias adiect; vt nympha, siue vnda Nilias, idest Nili fluminis Ægypti. ita etiam dici posset Achíroë Nili filia, vxor Beli, mater Dánai, & Aegypti. v. Nilis.

Nisias v. Nessias. nam pentámetrum illud apud Ouid. in Epist. Sapphûs,

Nisiades matres, Nisiadesque nurus.

legendum est correctius: Nessiades, seu Nesiades matres &c.

Nysias vel Nyssias } adiect; vt Nysiades nymphæ, quæ Bacchum nutriuerunt in monte Arábiæ, qui Nysa dicebatur. Nysa etiam appellatur Arabiæ oppidũ. alijs est Indiæ vrbs, iuxtà quam fuit Mero mons, in cuius antro Bacchus nutritus fuit à nymphis (vt ait Delríus noster) & inde Nyseïus, seu Nysleïus, vel Nysigena nuncupatur.

O

Odrysias adiect; vt mulier Odrysias, idest Threissa: ita dicta quia Odrysæ sunt Thráciæ populi. Odrysias lyra, seu musa dici potest lyra, seu poësis Orphei, qui Thrax genere fuit.

Oeneas regio Acarnániæ, vnde Oenéadæ, & Oeniadæ, populi eiusdem regionis.

Olympias adiect; vt Musæ, siue Deæ Olympiades, idest cælestes: ita dictæ, vel quia Olympum, idest cælum habitant (iuxta fabulas) vel quia Iouis Olympij filiæ credebantur. Deæ Olympiades dicebantur Deæ cælestes (erant enim & inferæ apud ethnicos, & marinæ) quare

quare Diuæ Olympiades dici à nobis poſſent cælites omnes ſexus muliebris.

Olympias victoria, vel corona dicitur, ideſt in Olympijs certaminibus parta, quæ erat ex oleaſtro. Olympias laurus per epíthetum dici poteſt: in Olympo enim monte copioſiſſima eſt.

Olympias etiam dicebatur ſpatium quatuor annorum, ita dictum ab Olympijs ludis, Ioui ſacris; qui quarto quoque anno in Gręcia agebantur. quare & ipſa ludorum Olympicorum celebratio, Olympias appellabatur.

Olympias quoque dicitur fons Arcádiæ iuxta Alphéum fluuium, è quo alternis annis aquæ emanant, proximè verò ignis erumpit.

Demum eſt nomen proprium matris Alexandri magni, quæ fuit vxor Philippi, & filia Neoptólemi.

Olynthias adiect; vt Stagíra Olynthias: Stagíra enim Ariſtotelis patria, eſt in Olyntho, Thráciæ vrbe, & Macedónię contermina (vt ait Tzetza) ita dicta ab Olyntho Herculis filio.

Oreades nymphæ montium, ὄρος enim gręcè dicitur mons. Oréas verò quælibet nympha montana.

Oreſtiades dicuntur item nymphæ montium, quas alij Oreades appellant, ab ὄρος, ideſt mons, & ἑστία, id eſt lar, ſeu domus; quia domum habent in montibus.

Oreſtias etiam dicta eſt quædam vrbs ædificata ab Oreſte, Agamémnonis filio, in monte ſupra Macedóniam eminente, in qua natus eſt Ptolemæus Lagi filius, primus Ægyptiorum Rex.

Oretias adiectiuum, vt nympha, vel vnda Oretias, ideſt Oréti, fluminis Panormi in Sicília. Orétus autem dicitur

citur, quia oritur à montibus: mons autem græcè dicitur ὄρος (vnde ὀρητος) & poëticè οὖρος, vel ὦρος. quare non rectè ſcribitur per aſpirationem, Oréthus. v. Orétis.

Orontias v. Orontis.

P

Pæantias adiect; vt ſagitta Paeantias, ideſt vna ex illis, quas Philoctétes, Pæantis filius, accepit ab Hercule: quæ felle hydræ intinctæ fuerant, vulnuſque inferebant immedicabile.
vel Petília Pæantias (quæ vrbs eſt Calábriæ) quòd à Philoctéte condita fuerit.

Palantias vrbs in Arcádia(quæ etiam dicitur Palantéum) ſic appellata à Palante, vno filiorum Lycáonis.

Pallantias Aurora Pallantis, hominis gigantis filia: vel iuxta Heſiodum, Pallantis ſoror patruelis, Hyperíonis verò filia, ac Thiæ. alij demum aſſerunt Titánis fuiſſe filiam, ac *Terræ*.

Pallantias etiam dicta eſt palus in Africa, quæ cum ſit proxima Tritóni fluuio, dicitur etiam *Tritónis*.

Panias dicitur fons vnde oritur Iordánis fluuius Iudęæ: ita dictus, quia Pánion antrũ eſt Palęſtínæ, à quo effluit Iordanis. aliqui verò Paneadem, ſeu Peneadem appellant.

Panias item adiect; vt fiſtula Panias, ideſt à Pane paſtorum Deo apud Ethnicos inuenta, quæ ſeptem calamis conſtabat.

Pa-

Papyretias seu Papyrias | adiect; vt nymphæ Papyriades, idest Papyréti, seu Papyríti fontis Panormitani, seu Panormei. vnda Papyrias est ipse fons. v. *Papyrítis.*

Pelasgias adiect; vt mulier, seu terra Pelasgias, idest Græca, siue Arcádica. Arcádia enim Pelásgia dicta fuit à Pelasgo eius Rege.

Peleas adiect; vt arx Peléas, idest Columbária insula iuxta Drépanum in Sicília, hodie Colombára. πέλεια enim dicitur columba.

Peleades seu Peliades | dictæ sunt fœminæ vaticinantes (aliàs Peléæ, seu *Pelíæ* apud Dodonæos: quas, columbas fuisse vocales fabulati sunt poétæ; quòd Peléæ dicantur à Græcis columbę siluestres colore nigricanti. eædem in stellas conuersæ sunt, quæ *Pléiades*, & Peleades, seu Peliades dicuntur ab Apollonio.

Pelias adiect; vt mulier Pelias, idest Théssala. nauis, seu pinus, vel arbor Pelias dicitur Argo, quæ ex trabibus Pelij montis in Thessalia est ædificata. Pelias *ornus*, seu *Peliaca* dicitur, quia ibi frequens.

Peliades nymphæ sunt, quæ prædictum montem incolunt. rupes Peliades, siue arx Pelias dicitur, mons Pelion, eiusque tractus.

Pelias hasta, seu Pelias fraxinus; dicitur hasta Achillis fraxínea, in Pelio monte excisa, à Pallade decorticata, & polita; & à Vulcano cuspidata: quam nemo concutere, ac tractare nouerat, nisi solus Achilles, qua ipse interfecit Héctorem. eamdem perhibent & vulnerandi, & sanandi vim habuisse: quod Télepho Mysórum Regi contigisse fertur, ab eadem sauciato, curatoque.

Pelia-

Peliades dicuntur quatuor filiæ Péliæ, Regis Thessáliæ, sorores Acasti. harum nomina erant, Alcestis, Amphínome, Euadne, Pelopía, seu Pelopéa. vel iuxta Apollodórum, Pisídice, Pelopéa, Híppote, siue Hippóthoë, Alcestis. quæ omnes Medéæ hortatu patrem suum iugularunt, sic sperantes, & vitæ, & iuuentuti eum restitutum iri. in hac voce prima syllaba potest esse breuis; scribitur enim Rex πελίας, & πηλίας.

Pelopeïas adiect; vt Mycénæ Pelopeïades: sunt enim Mycenæ vrbs Peloponnési, quam Pelops Tántali filius auxisse fertur.

Pelorias adiect; vt ora, seu terra Pelorias, idest Pelórus promontorium Siciliæ: & ita dici potest Messána propè illud sita. Pelorias etiam, seu Pelóris absolutè dicitur ipsum promontorium Pelórus.

Pelusias adiect; vt ora, seu terra, vel fœmina Pelusias, idest Ægyptia: ita dicta à Pelusio, Nili ostio.

Péneas v. Pánias.

Pentheïades dictæ sunt excubiæ, seu custodiæ Penthei, filij Echíonis ex Agáue, Cadmi filia. hic Péntheus à matre, & sorore in furórem versis laceratus fuit, quòd Bacchi sacra sperneret.

Phædrias adiect; vt petræ Phædriades, idest rupes Phædria apud Delphos, vbi Philomélus Phocensium dux vicit Locrenses.

Phæstias Iphis (idis) puella Cretensis ex Phæsto Cretæ oppido; Lygdi, & Telethúsæ filia, quæ Isidis ope ipso nuptiarum die in marem mutata fuit.
vel quælibet mulier Cretensis, præsertim ibi nata.
est etiam nomen proprium, quo vocata fuit Aristotelis mater.

Phaëthontiades ſorores Phaëthontis, & filiæ Solis ex Clymene, aut Neæra: quarum nomina ſunt Phaëthúſa, Lampétia, & Lampethúſa, quæ in alnos, ſeu populos, ſúccinum ſtillantes, fuiſſe conuerſæ dicuntur poëtis, iuxta ripas Erídani, ſeu Padi, *Italiæ* fluminis. Phaëtontias ſine aſpiratione ſcriptum inuenio apud pleroſque: ſed apud Græcos ſcribitur per θ.

Phaëthontias etiam dici poteſt alnus ipſa, vel pòpulus alba. phaëthontias gutta, ſeu lacryma dici poteſt electrum, ſeu ſúccinum, *Italicè* ambra.

Phaſias Medéa, à Pháſide fluuio Colchórum ita dicta: nam apud Colchos nata fuit.

Philoterias, ideſt mulier, ſeu res Ægyptia, ſiue Æthiopica: vt Philoterias ſacerdos, ideſt Sibylla Ægyptia: ita dicta, quia Philotéra eſt vrbs Ægyptia iuxra Troglodyticam.

Phintias oppidum Siciliæ (hodie Alicáta) ita dictum à Phíntia Agrigenti tyranno, eius conditore.

Phœbas dicitur quælibet Phœbi ſacerdos fatidica. ita etiam dicitur Caſſandra Príami filia, quæ à Phœbo fuit vaticinio donata. ſed ab eodem fides ei prædicenti eſt derogata in pœnam denegati congreſſus.

Phœbades adiect; vt Horę *Phœbades*, quia Solis miniſtræ finguntur: Sol autem ab Ægyptijs Horus dicebatur.

Phœnodamantiades dici poſſunt tres Phœnodamantis *Troiani* filiæ, quas Laómedon, Rex Troiæ, nautis in Siciliam abeuntibus dedit, feris exponendas: ſed ope Veneris ſeruatæ fuerunt. quarum vnam Criníſus, Siciliæ amnis, ſub forma canis compreſſit, genuitque ex ea Aceſten, vt refert Cluuerius. earum nomina dicuntur

tur

tur fuisse Æthylla, Astyoche, & Medesicaste: quarum primam non quidem matrem, sed vxorem Acestæ Regis fuisse scribunt alij: vnde ipse Entellam, siue Atillam Siciliæ vrbem cognominauit. verùm ab alijs prædicta nomina tribuuntur filiabus Laomedontis.

Pimplias adiect; vt specula, seu rupes *Pimplias*, idest Pimpla mons Thráciæ, *Musis* sacer. v. Pimpléis.

Pirantias, Hydra, siue *Echidna*, monstrum; quæ quidem filia fuit Pirantis, & Stygis, vt ait Pausánias.

Pleias seu Plias vel Pleïas seu Plias } dicitur quælibet ex septem Atlantis filiabus, ex Pléione nympha susceptis: inter quas est Maia mater Mercurij (qui propterea dicitur Pleiade natus) quæ Pleiades postea in sidera translatæ sunt, & à matre Pleiónes etiam appellantur. earum verò propria nomina sunt Stérope, Alcyone, Celæno, Maia, *Electra*, Taygete, Mérope: quarum septima vix cerni potest. à *Latinis* dicuntur Vergiliæ, quia Vere oriuntur. Pleiades autem dicuntur à πλεῖν, quod est nauigare, cum nauigationis tempus ostendant ortu suo; vel quia πλείονες, idest plures apparent. Pleïades quadrisyllabũ fecit Homerus in Odyss; & Apollonius Rhodius lib. 3. Pindarus verò ode 2. Nemeorum scripsit per epénthesim πελειάδων, idest Peliadum, pro πλειάδων, idest *Pliadum*, seu *Pléiadum*.

Polias, & Sthenias, epítheta sunt Mineruæ, quæ colitur in Althépia regione, cui nomen dedit *Althépus* eius Rex. ita dicta, quasi cíuica (siue vrbana, aut úrbica) & potens: πόλις enim est ciuitas; σθένος verò potentia.

Pontias adiect; vt vnda Pontias, idest *Ponti*, seu maris. hinc *Pindarus* ode 4. Isthmiorum appellauit *Isthmum*

Corinthiacum γέφυραν ποντιάδα, ideſt pontem marinum; vtrinque enim mari alluitur.

Poſidonias nomen vrbis in regione Althépia, quę prius Anthéa dicebatur, cui nomen mutauit Aëtius Anthæ filius, & ita appellauit à nomine Neptuni (patrui ſui, ſiue aui) qui græcè dicitur ποσειδῶν. ſecunda tamen ſyllaba corripi poſſet, ſi excluſa litera ε, ſcribatur ποσιδωνιὰς. ita etiam dicitur Pæſtum, Itáliæ oppidum, roſis abundans, quę Pæſtánæ appellantur: quia fortè Neptuno ſacrum erat.

Potniades adiect; vt equę, vel quadrigæ Potniades, ideſt equę illę, quæ Glaucum dominum ſuum lacerauerunt: ita dictæ, quia ipſe Glaucus apud Potnias *Magnéſiæ* oppidum natus eſt.

Potniades Deę dictæ ſunt Ceres, & Proſérpina, quia in vrbe Potnijs colebantur.

Ita etiam appellantur Heſychio Bacchę, ſeu Bacchantes; fortaſſe à furore. nam ποτνιάζομαι inter alia ſignificata eſt indignor, ſeu furore corripior.

Pyrrhias dici poſſet mulier Gręca, ſiue *Epirótica*: *ita dicta* à *P*yrrho, qui olim Epírum habuit. vel melius quęlibet fœmina nata *P*yrrhæ, quæ eſt vrbs Lesbi, & aliorum locorum ſub eodem nomine.

Pythias adiect; vt victoria, ſeu corona Pythias (quę erat ex lauro) ideſt in ludis Pythijs, Apollini ſacris, parta. eſt item ludus ipſe Pythiorum; ſeu Pythicorum ludorum celebratio: & dicitur Pythias prima, ſecunda, &c.

Rhœ-

R

Rhœteas seu Rhœtias vel Rhœteïas | adiect; vt ora Rhœtéas, seu Rhoétias, ideſt Troiana, ſiue ipſa Troia, Aſiæ minoris regio, & vrbs. rupes Rhœteas dicitur ipſum promontorium Rhoetéum, in quo ſepultus fuit Aiax Telamonius. cui promontorio nomen dedit Rhœtéa Prótei filia. duo autem celebrantur Troiæ promontoria Rhœtéum, & Sigéum, vbi Achilles tumulatus fuit.

Rudias ſeu Rhudias | adiect; vt Muſa Rudias, ideſt Enniána poëſis, Ennius enim poëta Rudius fuit, ſeu Cálaber; nam Rudiæ erat vrbs Calábriæ. prima quidem ſyllaba produci poteſt, quia apud Ptolemæum ῥουδίαι ſcribitur.

S

Sciras epíthetum Mineruæ, ita dictæ à Sciro vate Eleuſinio. qui in Phaléro, Atticę loco, Mineruæ Sciradi templum dedicauit.

Scyrias adiect; vt mulier Scyrias, ideſt à Scyro, inſula contra Theſsáliam, ſeu Magnéſiam, vna ex Cycladibus in mari Aegæo. puella Scyrias dicitur Deidamía, filia Lycomédis, Regis Inſulæ Scyri, quæ Achilli Pyrrhum generauit. ibi enim in regia latuit Achilles muliebri habitu, & Pyrrhæ ficto nomine inter filias Lyco-

Lycomédis filias: qui Scyriadum parens dicitur à quibuſdam.
vel Atalanta pernix puella, Schoénei filia, qui in Scyro regnauit.

Sepias Magnésiae ſeu Macedóniæ, promontorium, ſi Ptolomæo; Iólci verò, ſeu Theſsaliæ ſi ſcholiaſtæ Apóllonij credimus. ita dictum, quod Thetis nympha marina Péleum inſequentem fugiens, ibi in Sépiam ſit conuerſa: σηπία verò eſt piſcis genus. vel adiect; vt Sepias ora, ideſt promontorium ſupra dictum.

Sepiades petræ, vel Sepias rupes videtur eſſe apud Pausániam promontorium Arcádię (ad quod olim Bóreas Perſarum claſſem ſcopulis illiſit) ita quidem dictum à Sépia, monte eiuſdem loci. monti verò fuit nomen factum à ſerpentibus, ínibi natis, quas Græci Sepes appellant: & in hoc monte Aépitum Elati filium ſepultum eſſe ſcribit Pausánias, ſerpentis huiuſmodi morſu necatum. Seps autem magnitudine eſt minimæ viperæ, cineris colore, notis interpuncta varijs, capite lato, grácili collo, áluo obeſiore, pérbreui cauda: & in obliquum repit cancrorum more, vti & ceraſtes è ſerpentum itidem genere.

Seriades adiect; vt nymphæ Seriades, ideſt Serij fluminis in Gállia Ciſalpína: & ita etiam appellari poſſunt Muſæ eius regionis.

Serrias adiect; vt petræ, ſeu cautes Serriades, ideſt Serrij promontorij in Thrácia, vbi Orpheum agitaſſe perhibent; & ex eo loco némora ſecuta ipſum canentem.

Seſtias Hero puella, à Seſto vrbe Helleſponti, Leandri, iuuenis Abydéni, amore capta.

Sintias adiect; quod ab Apollonio in Argonauticis tribuitur

buitur insulæ Lemno. ita verò dicitur à Sintijs Thráciæ populis, qui eam insulam olim incoluerunt. Sinties autem, seu Sintij, dicti sunt Lemnij, à σίνεσθαι, quod est nocére; nam primi sagittas æneas fabricarunt: quo inuento maximè noxij fuêre hominum generi. secunda verò syllaba producitur ab Apollonio prædicto lib. 4. quamuis per iota scribatur. sic enim ait:

Οἵ πρὶν μέν ποτε δὴ σιντιάδα Λῆμνον ἔναιον.

Sirenias adiect; vt ora, seu petra Sirenias, ideſt Sirenussæ insulæ iuxta fretum Sículum. Sirenias vox, siue ode, ideſt Sirénum cantus, qui etiam dici poteſt Sireneum melos.

Soluntias gentile nomen, ideſt fœmina è Solunte, seu Solunto, oppido quondam Siciliæ propè Panormũ, hodie Sólanto: quod nomẽ accepit à Solunte, peregrinos hospites malè tractante, quem Hercules interémit.

Spartias adiect; vt puella, seu virgo Spartias, ideſt Spartána, seu Lacedæmónia. huius autem generis puellæ vnà cum adolescentibus cursum, & palęstram exercebant.

Sperchias adiect; vt vnda, vel ripa Sperchías, ideſt ripa Sperchíj Thessáliæ fluminis velocissimi, quod in Malíacum sinum exit.

Sperchías populus dici poteſt, quòd Sperchíus populis arboribus abundat.

Sphincias adiect; vt rupes, seu petra Sphincias, ideſt Sphincius mons iuxta Thebas, vbi Sphinx monſtrum habitauit. quare & ipsa Sphinx dici qosset Sphincias puella.

Sthénias v. Pólias.

Stygias adiect; vt Hydra Stygias, quia Stygis fœminæ

filia

filia fuit, vt ait Pausánias. fuit autem hydra ſerpens inſtar monſtri in Lerna, Argiui agri lacu: cui capita erant 50; vel vt alij volunt 7. vno autem exciſo duo alia, vel tria repullulabant; vnde dicta eſt Excetra hanc Hercules Iolái ope, ferro, & igne extinxit.

Sunias adiect; vt rupes, vel ora Sunias, ideſt Sunium Atticæ promontorium, & vicus eiuſdem regionis. fuit etiam epíthetum Mineruæ apud Atticos.

Surias Cozbi, ſeu Cosbis, Madianítis nobiliſſima, filia Sur, & pellex, cum qua Zambri concubuit.

Symplegades duæ paruæ inſulæ ſunt (ſiue ſcopuli) in mari Euxíno cõtra Thrácium Bóſphorum, parùm inter ſe diſtantes, per quas tranſiuit Argo nauis. dictę à συμπλήττομαι, ideſt collídor, quia inuicem collídi, ſeu concurrere credebantur. eędem vocantur Syndrómades, Cyáneę, Planctę: & aliquando à poëtis vtroque vocabulo, Cyaneę Symplegades, ſeu Syndromades.



T

Tarantias seu Tarentias, adiect; vt vnda Tarantias, ideſt aqua Tarantis, fluminis in Calábria, cui Taras (antis) heros nomen fecit. ora Tarantias dici poteſt ipſum oppidum Taréntum, hodie Táranto.

Tarteſſias adiect; vt ora, ſeu tellus Tarteſſias, ideſt Hiſpánia, ſeu Baética, quæ eſt Hiſpaniæ pars: ita dicta à Tarteſſo, Hiſpaniæ Bæticæ oppido, Gadibus vicino.

Tharias Sara, ſoror, & vxor Abrámi, mater Iſaac, filia Thare.

Thaumantias Iris (idis) Thaumantis, & Electræ filia, quam Iunónis nunciam poëtæ faciunt: & Heſiodus ſororem Harpyiarum eſſe ſcripſit.

Thermodontias adiect; vt vnda Thermodontias, ideſt Thermodontis, fluuij Themiſcyræ, iuxta Cappadóciam.

Thermodontias dici poteſt Amazon quælibet; nam propè hunc fluuium Amázones habitarunt.

Theſpias Leda filia Theſpij, Ætóliæ Regis. v. Theſtias.

Theſpiades Muſæ denominantur à Theſpijs, vrbe Bœótiæ, vbi maximè colebantur, fuit autem Théſpia, (ſeu Theſpiæ) infra Helicónem montem condita, & à Théſpia Asópi filia denominata.

vel nymphæ, quæ Theſpias incolebant.

vel quinquaginta filiæ Theſpij, Teuthrantis neptes, v. Theſtiades.

Theſtias Althæa Theſtij filia, Oénei Calydóniæ Regis vxor, Meléagri mater.

vel Leda eiuſdem filia, Tyndari Lacóniæ Regis vxor, mater Cáſtoris, & Pollúcis; Hélenæ, & Clytæmneſtræ.

Theſtiades dicuntur filiæ Theſtij, numero quinquaginta ex diuerſis mulieribus natæ, quas omnes Hercules vitiauit, totidemque filios ex ijs ſuſcepit. hæ ab alijs Theſpiades appellantur; quæ quidem ſeptem dierum ſpatio, vel iuxta alios quinquaginta noctibus (alijs nocte vna) grauidæ ab eo factæ dicuntur.

Thiades v. Thyiades.

Thoantias Hypsípyle, ſeu Hypſipyléa Lemni Regina, Thoantis filia, quæ Iáſonem hoſpitio excepit, adamauitque; cui gemellos peperit. hæc ſola inter omnes Lémnias mulieres, quæ viros, parenteſque occiderunt, patrem ſuum ſeruauit: & ab eádem Lemnus dicitur tellus Hypſipylæa.

Thunias v. Thynias.

Thyiades vel Thyades dictæ ſunt Bacchi Sacrificulæ à Thyia quadam, Cephiſſi filia, quæ prima omnium Dionyſio initiata, Orgia eius celebrauit, Bacchicoque furore correptis nomen reliquit, vt ab ea Thyiades dicerētur. Thyades verò ab aliquibus appellantur à verbo græco θύω, ideſt cum furore ruo.

Thynias adiect; vt nympha Thynias, ideſt inſulæ Thyniæ, ſen Thynes in fronte Bithyniæ, ad Ponti fauces exiſtentis. Thynias etiam dicitur ipſa inſula Ponti Euxíni, alijs Thynnias appellata.

Tiberias nympha quælibet Romana à Tíberi, fluuio Romæ ita dicta. Tiberias vnda eſt aqua dicti fluminis. in

hoc

hoc autem nomine ob necessitatem prima, vel secunda produci potest. Sic etiam est appellata vrbs Galilææ, ab Heróde condita in honorem Tiberij Cæsaris. ibi erat lacus, seu stagnum Genésareth, seu Gennésareth, qui & Tiberias dicebatur, seu mare Tiberiadis. v. Ceneréthis.

Titanias dicta est Luna, vel à Sole eius fratre, qui dictus est etiam Titan; vel à Titáne, qui secundùm alios fuit pater Solis. Titanes enim dicebantur gigantes, inter quos fuit ipse Sol, & eius pater Hyperíon.

Tirynthias Alcména mater Herculis, ita dicta à Tirynthe, vrbe Peloponnési, vbi nata est.

Tithonias adiect; vt ales Tithonias, idest Cicáda, in quam mutatus esse fertur ab Aurora Tithónus, cum iam senuisset.

Troas vel Troiās — quælibet mulier Troiana; ita dicta à Troë, qui fuit Troianorum Rex; & Troiam nominauit, quæ prius Dardánia, à Dárdano eius auo, appellabatur.

Troas etiam, seu Troades, appellatur à Séneca poéma tragicum de Troiæ incendio, & excidio.

Troas denique est regio minoris Asiæ, quam Ptolemæus Phrygiam minorem appellat, vbi fuit Ilion, siue Ilios vrbs regia totius Tróadis.

Tyberias v. Tiberias.

Tymbas quælibet saga, & venéfica. à τύμβος, idest sepulcrum, ita dicta: nam circa sepulcra versantur, cadauera mutilantes, ad veneficia patranda: vnde etiam appellantur à Græcis Pharmácides; phármacum enim est venenum, vel herba apta veneficijs.

V

Venusias (secunda ob necessitatem produci potest) adiect; vt Musa, seu lyra Venusias, idest Horatij poëtæ Lyrici, qui Venusinus fuit. Venusium autem, seu Venúsia est oppidum inter Apúliam, & Lucániam.

X

Xuthias ora, seu terra, dici potest Leontínum, vrbs Siciliæ (hodie Lentíni) quæ antea dicta fuit Xúthia à quodam Xutho, Aéoli filio, ibi regnante: sicuti campus Leontinus dictus etiam fuit, Xuthius ager.

Xynias palus Thessáliæ, ita dicta à Xynia Thessaliæ vrbe, cui proxima est. vel quia ξυνὸς, idest communis, erat Thessaliæ, & Bœótiæ.

Z

Zanclias adiect; vt ora, seu terra Zanclias, idest Messána (hodie Messína) Siciliæ vrbs nobilis, quæ prius dicebatur Zancle, cuius gentile est Zanclæus, & Zanclius (vt in Pausániæ appendice notatur) & ab hoc secundo formari potest patronymicum prædictum. v. Zancléis.

Aban-

A

Abantis insula in mari Ægæo, ita dicta ab Abante, eius indígena: vel ab Abantibus habitatoribus. hæc dicitur etiam Euboea, siue Euboia, hodie l'Isola di Negroponte.

Abarnis dicitur vrbs, & regio ad Propontidem, vel ad Hellespontum. est etiam arx, seu promontorium Lámpsaci in Hellesponto. ita dicta ab ἀπαρνίσαθαι, idest à renuendo, seu repudiando: ibi enim Venus Priápum enixa, ob eius deformitatem pro neglecto habuit, ac dereliquit. Aparnis itaque primùm fuit appellata vrbs illa: deinde per metáthesin, siue antíthesin Abarnis.

Abasgis adiect; vt terra, seu mulier Abasgis, idest Scythica. Abasgi enim (qui etiam Aláni, Hunni, & Messágetæ dicuntur) sunt populi Scythici. v. Messágetis.

Aboriginis adiect. vt ora Aboriginis, idest Latium Italiæ vrbs, quam Aborigines antiquissimi populi tenuêre. Aboriginis Cótyle, seu Cutília dicitur: quin etiã lacus ipse Cutiliensis (qui stagnat circa Cutiliam Aboriginum vrbem) in quo lacu insula fluitabat: ad quam Pelasgi iuxta Dodonaeum oraculum peruenêre.

Absyrtides insulæ quatuor in Adriatico sinu, ita dictæ ab Absyrto Æétae, Regis Colchorũ, & Asterodéae nymphę filio (alijs ex Ipséa, siue Idéa Oceani filia) ibi à Medéa eius sorore interfecto, vbi oppidum est Absyrtis, siue Absyrtium. harum insularum vltimam pro-

pe

pe Eridanum fluuium sitam esse scribit Apollon. Rhodius lib. 4.

Absyrtides etiam vocantur insulæ Ponti (iuxta Istrum flumen, vt aliqui scribunt) in quas Absyrti membra delata sunt à fluctibus Phásidis Colchórum fluuij: vbi secundùm alios ipse puer discerptus fuit.

Absorides dicuntur eaedem insulę Absyrtides supradictæ ab Absóro vna ex earum insulis, in qua oppidum est Absórus. Absorrhus verò scribitur à Ptolemæo, & sublato r, Absorus.

Acamantis vna ex decem tribubus Atheniensium, ita dicta ab Acamante Thései filio.

Ita etiam olim dicebatur Cyprus insula, ab Acamante promontorio.

Acarnanis adiect; vt mulier Acarnánis; idest ex Acarnánia, quæ est regiuncula Epíri, antea Curétis dicta.

Achais vel Achaeis — adiect; vt vrbs Acháis, idest Achaiæ regionis Septentrionalis, Peloponnéso conterminæ. mulier Achaeis, idest ex ea vrbe. tota Achæis, dicitur tota Græcia. Pelléna, seu Pelléne Achaeis, siue Acháis appellatur, quia est oppidum Achaiæ. vel vt ait Apollonij Scholiastes, quia est Achais Thessaliæ pars, in qua Thessalia est Pellene. vnde & tota Thessalia Achaeis appellatur à poëtis.

Achamantis v. Acamantis.

Achelois quæuis Siren ex tribus, quæ fuerunt Achelói fluminis, & Callíopes Musæ (siue iuxta Apollonium Terpsíchores etiam Musæ) filiæ, habitantes in mari Sículo, superiori corporis parte virgines, inferiori pisces. earum insulæ dicuntur Sirenúsæ, seu Sirenussæ;

Apollonio verò singulari numero dicitur Anthemoëssa. Sirenum autem nomina sunt Parthénope, Lygía, seu Ligèa, Leucásia. vt verò scribit Apollonij Scholiastes Thelxíope, seu Thelxínoë, Molpe, Aglaophónos. atq; istæ tres Acheloides appellantur.

Achelóis etiam dicitur Callírhoë Achelói fluminis filia. vel Castália nympha, quam Panyassis poëta Acheloi filiam fuisse cecinit; & ab ea inditum est nomen Castáliæ Phócidis fonti.

vel adiect; vt Achelois vnda, idest aqua dicti fluminis; vel Castaliæ, seu Castalij fontis.

Acheloides dicuntur nymphæ Græcæ, Achelóus enim est Græciæ fluuius.

vel nymphæ aquarum; veteres enim aquam omnem; Achelóum, appellabant: quòd primus post diluuium fluuius erupisse fertur: & Acheloides vndæ, vel Acheloïa pocula aquæ omnes vocantur: sed tunc intelligitur Achelóus Acarnániæ fluuius, oriens ex Pindo, olim Thoas, post Thestius, & Axenus dictus. sunt enim præter hunc & alij duo Achelói, vnus in Phrygia à Sipylo monte defluens, alter in Arcadia ponè Lycéum montem.

Acherois adiect; quod ab Homéro tribuitur populo albæ, quia ad ripam Acherontis fluuij in Thesprótide nascebatur: & inde Hercules eam arborem in Græciam primus attulit. Ita dici potest Styx (ygis) seu Stygia palus, quam aliqui Acherontis fluuij filiam fuisse crediderunt, ex quo illa genuit filiam, nomine Victória: quáuis alij cum Pausánia Stygem Pirantis filiam faciunt, cui genuit hydram.

Ăchĕrŏnis | adiect; vt vndæ, ſeu ripæ *A*cherónides, ſi-
ſeu ue *A*cherontides, ideſt Acherontis fluuij,
Acherontis | ab Acheruſio promontorio erumpentis:
qui & vnus ex inferorum fluuijs exiſtimatur.

Ăchĕrŏnīdĕs | dici poſſunt tres Furiæ, quæ fuerunt A-
ſiue cherontis, & Noctis filiæ. eædem dicun-
Acherontides tur Eumenides, Erinnyes, Diræ. v. *A*-
cherontiades.

Ăchĕrūſis palus Acherúſia, inter Capuam, & Auerſam, vſque ad Cumas diffuſa. Acheruſis ora, ſeu petra, id eſt Acheruſium promontorium contra Bithyniam, circa Heracléam Ponticam. ibi etiam eſt ſpecus Acheruſia, vnde Hercules Cérberum ex inferis creditur eduxiſſe.

Ăchillēĭs poëma Statij, Achillis vitam deſcribentis per libros quatuor.

Acragantis v. Agragantis.

Acriſionēis Dánaë, Acriſij Regis Argiuorum, filia. vel Euadne mater Hippodamíæ, vxor Oenómai. v. Acriſióne.

Ădămāntĭs adiect; vt harpe adamantis, ideſt adamántina: ita enim dicebatur falcatus Mercurij gladius.

Ădōnēĭs adiect; vt herba *A*donéis, ideſt lactûca; in illa enim herba *A*dónidem mortuum Venus depoſuit.

Adrānītĭs, mulier, ſeu res Adranitana. eſt autem Adránum Siciliæ vrbs, hodie *A*dernò, ò *A*ternò. v. Hadranítis.

Adraſtis

Adraſtis vel Adraſteis | Argía, & Deíphile, *Adraſti Argiuorum* Regis filiæ. hoc ſecundo patronymico vtitur Pindarus ode 2. Olympiorum. quod fortaſſe formatur ab adiectiuo ἀδράστειος ſoluta diphthongo. quare & Adraſtéis penultimâ lõga dici poſſet.

Aeacis Oenóne inſula in Ægæo mari circa Pelopõnéſum, vbi regnauit *Aéacus*. hanc poſtea appellauit Aeacus Aegínam à nomine matris ſuæ.

Aeacides dicuntur inſulæ quædam in ſinu *Sorónico*, quarum vna eſt Oenóne.

Æantis *Aiácis* filia, vel neptis: Aiax enim græcè dicitur Αἴας (αντος) item tribus quædam *Athénis*, ab Aiace nomen habens. eſt etiam epíthetum Mineruæ, quæ in Attica templum habuit fortaſſe in tribu prædicta.

Aeetis & Aëtis | Medéa, Æétæ Colchórum Regis filia, quæ inſignis fuit venefica: eius mater fuit Idyia; vel ſecundùm alios Hécate: alijs verò aliæ. ita etiam appellari poteſt Chalcíope, Medéæ ſoror, Æétæ quoque filia.

Æetis vel Æatis | dicitur Circe, Solis, & Perſes filia, mulier venefica: quæ nata eſt in vrbe Colchidis, Æa, vel Æe nomine; vnde & appellatur Ææa.

Ægeis tribus Attica, ita dicta ab Aégeo Pandíonis filio. verùm ab alijs Ægæis cum diphthongo in ſecũda ſyllaba ſcribitur. Poteſt etiam eſſe adiect; vt vnda Ægéis, ideſt mare Ægæũ, hodie l'*Arcipélago*: quod mare appellatur Ægon (ônis) vel Ægéon (ônis) quem quidem Ægeôna peculiare numen maris Ægæi, ſiue Ægéi fuiſſe putat Delríus.

Aeginetis adiect; vt mulier Aeginétis, ideſt Aeginénſis, terra, vel ora Aeginetis, idèſt Ægína inſula, vna ex Cycladibus.

Aegiſthis Erígone Aegiſthi filia.

Aemathis v. Emathis.

Aemonis adiect; vt nauis Aémonis, ideſt Argo. Aemónia enim dicebatur olim Theſsália. v. Haémonis.

Aemonides dicuntur mulieres Théſſalæ.

Aeneis poëma Virgilij Marónis de rebus geſtis Ænéæ. Item adiect; vt Roma Ænéis, ideſt ab Ænéa originem trahens.
vel Venus Æneis, quia mater Ænéæ fuit. Ouidius Æneidem triſyllabum fecit per Synéreſin, lib. 2. Triſt.
Sumpſerit Æneidem genitrix vbi prima requiret.

Aenígrides v. Anygrides.

Aeoleis adiect; vt Muſa, ſeu cantilena Æoléis, ideſt Æólica, ſeu lyrica: Sappho enim, & Alcæus, poëtæ lyrici, Lesbij fuerunt: in Lesbo autem regnauit Aéolus: vnde carmen Sápphicum, ſiue Alcáicum, Aeólium dicitur Horatio.

Aeoliotis ſiue Aeolis } adiect; vt Cuma Aeoliotis, ideſt Aeólica, eſt enim Cuma Aeóliæ vrbs: ſicuti etiam Smyrna, quæ ideò dicitur Aéolis.

Aeolis dicitur Alcyone, ſiue Halcyone, vel Alcyon (onis) Aéoli filia, vxor Ceycis, in auem ſui nominis mutata poſt viri mortem.
vel Arne eiuſdem filia, à Neptuuo adamata. vel Cánace Aeoli item filia, Macárei ſoror, & vxor: quæ ſibi necem conſciuit enſe ab Aeolo miſſo.

Eſt etiam adiect ; vt Sappho Aeolis. *inſula Aeolis* eſt ipſa Aeólia. chorda, ſeu fides Aeolis, ideſt Aeólica. nam *Á*eoles citharœdi periti fuerunt:& rythmus *Aeo*licus aptus eſt ad Pyrrhíchicam ſaltationem. Aeolis aura, ſeu tibia dicitur Pindaro Ode 3. Nemeor. ideſt vel flatus, ſeu ſonus harmonicus, vt ille *Aeolicus* ; vel Bœóticus, ſeu Thebæus, qualem edebat Pindarus, qui natus eſt Thebis in Boeótia. Thebæi etiam dicebantur Aeolij, ſiue Aeolienſes : quia illi apud hos coloni fuerunt.

Aeolis etiam, ſiue *Á*eólia dicitur regio Gręcorum in Aſia, vnde Aeolica lingua orta eſt. vel regio inter *I*taliam, & Siciliam, ventorum regia:& illa quidem ab Aéolo Hellénis filio ; hæc autem ab Aeolo *Hippotæ* filio nuncupatur.

Aepytis adiect ; vt terra Æpytis, quæ eſt Arcádiæ pars, ab Aépyto Arcadum Rege nomen habens.

Aeſonis adiect ; vt ora Aéſonis, ideſt Theſsália, ita dicta ab Aéſone Iáſonis patre, ac Theſſaliæ Rege. Æſonis vrbs dicitur Æſon Theſſaliæ, ſeu Magnéſiæ vrbs, à prædicto Aeſone ſic appellata. ſed Apollonius in *A*rgonaut. produxit ſecundam ſyllabam per ω in illo verſu :

Κλῦθι ἄναξ Παγασάς τε, πόλιντ' Αἰσωνίδα ναίων.

Aeſopis adiect ; vt fabula Æſopis, ideſt ab Æſopo philoſopho inuenta. Æsópis verò pro Asópis, v. *A*sópis.

Aetolis adiect ; vt Deidamía Ætólis, quia ex Ætólia erat; vel quia Ætóli Regis filia fuit.

Ita etiam dicitur quibuſdam fuiſſe Leda, mater Cáſtoris, & Pollúcis ; fuit enim filia *T*heſpij (aliàs Theſtij) Ætóliæ Regis : & ideò Aetolis appellatur ab Apollonio Rhodio.

Præterea ipſa regio Aetólia dici poteſt abſolutè Aetolis.

Aganippis adiect; vt Hippocréne Aganippis, vel vnda Aganippis, ideſt fons, ſiue aqua fontis Muſarum: nam Aganippe eſt fons Bœotiæ, Apollini, & Muſis ſacer.

Agenoris Európa, Agénoris Regis Phœnícum filia ex Telephaſſa, & à Ioue ſub tauri forma rapta; ſoror Cadmi, & Phœnícis. ex qua natus eſt Minos (óis) Sarpédon (onis) & Rhadamanthus.

vel *Iſæa* vxor Ægypti, filia Agenoris, & Damnûs. vel Mélia eiuſdem filia, & vxor Dánai, fratris Ægypti.

Agénoris adiect; vt Thebe Agénoris, & plur: Thebæ *Agenorides*, quę eſt vrbs in Bœótia, à Cadmo *Agenoris* filio condita, quam Amphíon lyræ ſono muris cinxit, vt fabulantur.

Agragantis adiect; vt ora, ſeu terra Agragantis, ideſt Agrigentum, Siciliæ vrbs. v. Agragantias.

Alcmæonis adiect; vt cupreſſus Alcmæonis, ideſt Alcmaéoni ſacra: nam circa *Alcmæonis* tumulum in Arcádia cupreſſi creuerunt eò vſque, vt earum proceritate mons proximus obumbraretur: quas indígenæ nunquam cædunt, easque appellant virgines. v. Alcmæonias.

Alcyonis diminutiuum nomen, ideſt parua Alcyon, ſiue Alcyone. vel adiect; vt hora, ſeu æſtas Alcyonis. v. Halcyonis.

Alcyonides v. Halcyonides. Alcyonitis v. Halcyonitis.

Alexandreis adiect; & ita appellatur poëma de Alexandro.

Alopecis, vel eſt catulus vulpis, ſeu vulpécula; vel canis è vulpe, & cane progenitus. ἀλώπηξ enim græcè eſt vulpes.

Alopecides etiam dicuntur vuæ quædam, caudas vulpium imitantes.

Alpinis adiect; vt res, vel fœmina Alpinis, ideſt ex Alpibus Italię mōtibus. fera, vel vrſa Alpinis; nix Alpinis, &c.

Alſeides nymphæ némorum, ſeu lucórum. ἄλσος enim eſt lucus, ſeu ſaltus. Apoll. Rhod. lib. 4.

Alyſſis adiect; vt vnda Alyſſis, ideſt cuiuſdam fontis in Arcádia, Alyſſos nomine, cuius aquę hauſtu ſedatur rabies contracta ex rabidi canis morſu.

Amanides portæ dicuntur, in quas Amánus mons Cilíciæ deſinit, deſcendens à Tauro monte, cuius ipſe eſt pars.

Amathuſis adiect; vt myrtus Amathúſis, quia Veneri ſacra: Venus autem dicta eſt Amathuſis, vel Amathúſia, ſiue Amathuntia, ab Amathunte Cypri vrbe, vbi colebatur.

Amathuſides dicuntur nymphæ, vel fœminæ prædictæ vrbis.

Amazonis, ideſt Amázonum quælibet filia, vel neptis; inter quas celebrantur Pentheſiléa, & Hippólyte Reginæ.
vel adiect; vt columna, ſeu pelta Amazonis, ideſt Amazónia.

Ammonitis adiect; vt mulier, ſiue terra Ammonítis, ideſt Ammonitarum, qui populi fuerunt Palæſtinæ, ita dicti ab Ammône filio Lot.

Amneſis adiect; vt aqua, vel vnda Amneſis, ideſt Amnéſus fluuius circa Paphlagóniam, vbi Diana lauari ſolita erat.

Ămnĭſis quælibet nympha Amníſi Cretæ fluuij, aut fœmina vrbis, eiuſdem nominis.

Amniſides nymphæ, appellantur nymphæ Cretenſes.

Ămphĭctўŏnĭs epith. Cereris, quæ templum habuit propè vicum Anthélam, & Asópum fluuium: ita dicta ab Amphictyone, qui templum dedicauit.

Ămrămĭs *Maria* Moſis ſoror, & filia Amram. v. Iocabéthis.

Ănætĭs ſiue Ănăĭtĭs | Dea ab Armenijs inſigniter culta, & à Lydis: cuius miniſterio nobiles puellæ dedicatæ pudicitiam in vulgus dabant. ita dicta fortaſſe ab *A*naétia oppido maioris Arméniæ.

Ănăĭtĭs epith. Dianæ apud Lydos cultæ, cuius miniſterio puellæ nobiliores dedicabantur.

Ăncōnĭtĭs adiect; vt ora Anconitis, ideſt Ancon (ônis) ſiue Ancôna, vrbs totius Picéni agri celeberrima, à Syracuſanis Dorienſibus, Siculiſque condita. Anconitis Venus dici poteſt, quod ibi templum habuit ſatis celebre.

Ăndrēĭs adiect; vt terra *A*ndréis, ideſt Orchómenus, illuſtris Bœótiæ vrbs: ita dicta ab Andreo, Penéi fluminis filio, qui primus omnium eo in loco conſedit. eadem poſtea Phlegyantis (idis) dicta fuit.

*Ă*nĕmōtĭs epith. Mineruæ, ita dictæ apud Mothoneos Grçciæ populos: quia ventorum ſæuitiam, regionem totam infeſtantium, poſt nuncupata ſibi à Dioméde vota, in poſtérum compeſcuit. ἄνεμος autem grçcè dicitur ventus.

Anígrides v. Anygrides.

Anthemusis vel Anthemoisis } lacus Mariandynorum, qui sunt Bithyniæ populi iuxta Pontum. ita dicta ab Anthemus (vntis) quæ est Syriæ vrbs, & fluuius Colchidis. vel ab Anthemoísia, Lyci filia, vxore verò Dáscyli, Tántalo nati.

Antiochis mulier quæuis in Antiochía vrbe orta.

Item Tribus in Asia, ita dicta ab Antíocho, Syriæ Rege.

Antipatris Eurydice Antípatri filia, vxor Ptolemæi Regis, quæ ab eo posthabita fuit mulieri, nomine Berenice.

Ita etiam dicta fuit Palæstinæ vrbs (nunc diruta) quã Herodes, Iudææ Rex, ex patris sui nomine appellauit.

Anygrides nymphæ sunt in quadam spelunca, ab Anygro Thessaliæ fluuio non longè dissita, in Sâmica regione. scribi etiam possunt Anigrides per i latinum.

Aonis adiect; vt lyra, seu chelys Aonis, idest, canora, qualis erat illa Musarum.

Aonides dicuntur Musæ à fonte Aone in Aónia Musis cõsecrato. est autem Aonia pars montana Boeótiæ.

Apherais via quædam apud Lacedæmonios non procul à Carnéi Apollinis sacello, in qua Penélopes proci cursus certamine suæ virtutis periculum faciebant: ita Icario Penelopes patre instituente, vt dignissimus eligeretur sponsus filiæ. sic autem dicta à verbo græco ἀφίημι, idest emitto; ἀφετηρία enim idem est quod carceres, idest locus, vnde cursus initur. eadem via dicebatur etiam Aphetæ (arum) penultima breui.

Apolloneatis (vel tertia breui ob necessitatem) Tribus vna ex quatuor in Arcádia apud Tegeátas. ita dicta ab Apollónia vrbe, quam sortitus est vnus ex filijs Arcadis.

Ărchelais Iudææ vrbs, & vici nomen in Palæſtina ab Archeláo ædificati.

Ărchidamis Cyniſca, Archídami, Lacedæmoniorum Regis, filia, Agidis ſoror, quæ fœminarum omnium equos prima aluit, & prima Olympicam de quadrigis tulit palmam.

Ărdalides vel Ărdaliotides | Muſę dicũtur ab Ardalo Vulcani filio, quẽ tibiam adinueniſſe opinãtur. hic Muſis tẽplum dicauit apud Troezenios. Pauſan. in Corinthíacis.

Ărethuſis adiect; vt vnda Arethuſis, ideſt Arethûſa fons (olim nympha) in litore Syracuſano ſcatens. vnde & ipſę Syracuſæ, ſeu Syracuſanæ dicuntur Arethuſides. & virgo Arethuſis appellari poteſt D. Lucía virgo, & martyr Syracuſana.

Ărgolis adiect; ideſt Argôlica, ſeu Græca, vt Hydra Argolis. Aſine item Argolis appellatur; fuit enim vrbs Argólica, cuius ciues Aſinæi dicti. cognominatur etiam Argolis Alcméne mater Herculis, quæ fuit Argiua. Denique tota regio, totáque Peloponnêſus, Argolis, ſiue Argos appellatur.

Ărgynnis epith. Veneris, ita cognominatæ ab Argynno puero, Agamémnoni Regi dilecto, & poſt mortem ab eodem Rege Veneri ſacrato per templi ædificium.

Ărimathis adiect; vt ora, vel vrbs Arimathis, ideſt Arimathéa, ſiue Arimathía, vbi natus eſt Ioſeph nobilis decurio, & Chriſti diſcipulus.

Ărſinoitis regio Aegypti; cognomen habens ab Arſínoë ſorore, & vxore Ptolemæi.

Ăsbyſtis adiect; vt mulier, ſeu terra Aſbyſtis, ideſt Libyca: eſt enim Asbyſta Libyæ vrbs.

Aſis | adiect; vt mulier Aſis; ideſt ex *Aſia*. Aſis, vel
vel ⎨ *Aſiatis* terra dicitur ipſamet Aſia, ſeu Lydia. A-
Aſiatis | ſia enim prius appellabatur Lydia. Aſiatis etiã,
ſiue *Aſia* dicebatur olim cithara trium chordarum ab Aſio eius inuentore: vel quòd in *Aſia*, ſeu Lydia primùm inuenta ſit. Aſia verò dicta eſt ab *Aſia* fœmina, Prométhei, & Atlantis matre.

Aſopis Ægína, Corcyra, Thebe, Némea, Cleóne, Sinópe, filiæ *Aſópi*, Regis Boeótiæ. verùm ſecundùm alios fuit Ægina, *Aſopi*, Achaiæ, ſeu Boeótiæ fluuij filia, ex qua Iupiter ſub forma ignis ſuſcepit Aéacum. & eiuſdem fluminis filias fuiſſe reliquas fabulantur, numero viginti: inter quas eſt Théſpia (vnde dicta eſt vrbs Theſpia infra Helicônem montẽ) & Salamis (inis) & Arpinna.
vel Platæa Aſopi, Regis, ſeu amnis filia, vnde dicti ſunt Platæenſes, populi Boeotiæ.
vel Antíope, quam Aſopi filiam memorat *Apollonius*: ex qua, & Ioue nati ſunt duo filij, Amphíon, & Zethus. fuit quidem & altera *Antíope* Nyctei filia.
vel adiect; vt ripa Asópis, ideſt Asópi fluminis.

Asópis etiam dicitur Euboea inſula, quia Boeotiæ proxima eſt. vel quia Chalcis olim vocabatur à Chálcide Asópi filia. eſt item *Aſopis* regiuncula Peloponnéſi in tractu *Achaiæ*.

Aſopides adiect; vt Thebæ Aſopides, ideſt Thebæ Boeótiæ, ab *Asópo* fluuio illas præterlabente.

Aſphaltis | adiect; vt vnda, ſeu palus *Aſphaltis*, ideſt
vel ⎨ aqua cuiuſdam lacus *Iudææ*, qui dicitur
Aſphaltitis | Aſphaltus, vel Aſphaltítes, hodie mare
mortuum. dicitur etiam Gomorrha Aſphaltis (vti etiã

Sódoma) sita enim erat vbi nunc lacus ille stagnat: Asphaltis autem dicitur palus illa propter bitumen, inibi abundans, quod græcè dicitur ἄσφαλτος.

Asterionis dicitur Euboea, Prosymna, & Acræa, quæ fuerunt Asteriónis Achaiæ fluminis filiæ, & Iunonis nutrices. v. Asterió nias.

Asteris dicitur Delos, quæ etiam appellatur Astéria insula, vbi Apollo natus est. ita dicta ab Astéria Latónæ sorore, quæ à Ioue in hanc insulam conuersa fuit.

Athamantis Helle filia Athamantis, & Népheles, soror Phrixi. fretum, vel æquor Athamantidis est Hellespontus, qui ab Helles casu ita fuit appellatus.

Athaneatis Tribus vna ex quatuor in Arcádia apud Tegeátas· ita dicta ab Athane vrbe, quam sortitus est vnus filiorum Arcadis.

Athenais dicitur ólea, siue oliua arbor, à Minerua inuenta, eique sacra. Minerua enim græcè dicitur Αθηνη.

Athois adiect; vt rupes, vel vmbra Athóis, idest ex Atho monte Thráciæ, quem Xerxes abscidisse fertur.

Athracis v. Atracis.

Atlantis Electra Atlantis Italiæ Regis filia, mater Dárdani, & Ectiónis, seu Iasiónis, & Harmóniæ Cadmi vxoris.
vel Calypso item Atlantis filia (vti scribit Apollonius Rhodius lib. 4.) licèt ipsa sit alijs Océani filia. v. Atlantias.

Atlantis adiect; vt silua Atlantis, quæ scilicet est in A-

tlante

tlante, monte Mauritániæ, in quem conuersus dicitur Atlas, Mauritaniæ Rex. in hac silua maximè prouenit citrus arbor.

vel nympha Atlantis, ideſt Alcyone, vna ex Pleiadibus, & Atlantis filia, quæ à Delphino ad Neptunum vecta fuit.

vel Maia *Mercurij* mater (vnde Mercurius dicitur cretus *Atlantide* nympha) Atlantis Arcádiæ Regis filia: ſed aliter alij.

vel Mæra *Tegeátæ*, ſeu Tégei, Lycáonis filij, vxor, Atlantis filia.

Atlantides ſeptem Atlantis filiæ ex Pléione nympha marina. quæ etiam dicuntur Heſperides (ab Héſpero *Atlantis* fratre) & Pléiades, & Vergiliæ. harum nomina ſunt Alcyone, Mérope, Stérope (ſiue *Aſtérope*) Taygete, Celæno, Maia (ſeu Maias, adis) *Electra*: quanquàm alij alias nominent. v. Dodónides, & Pleiades.

Atlantides item dicuntur inſulæ duæ, quas etiam fortunatas, & beatas dicunt in mari Atlántico, eaſque Heſpérides vocat Plinius.

Atraceis vel Atracis | Hippodamía, vel *Hippódame* (dicta etiam *Iſchómache*) *Atracis* fluminis filia, & vxor Piríthoi. aut ita dicta ab *Atrácia* Ætóliæ regione.

vel adiect; vt vnda, ſeu palus *Atracéis*, ideſt Atracis prædicti fluminis.

Attis & Atthis | Prógne, & Philoméla (vel hirundo, & luſcínia) quarum pater, Pandíon, Rex erat Athenarum. Athenæ autem eſt vrbs Atticæ, quæ regio prius Actæa dicebatur, poſtea verò Atthis ab Atthide Cránai filia.

vel Orithyia Attica; fuit enim filia Erichthei Regis Athenarum, & rapta à Bórea.
vel adiect; vt terra Atthis, ideſt Athenæ. mulier Atthis, ideſt Athenienſis, ſiue Attica. Atthis inſula dicitur Apollonio Sálamin (ínis) quò poſt necem Phoci fratris ſui confûgit Télamon, ibique regnauit. eſt autē Salamin, ſeu Salamis inſula in Euból.co mari contra Athenas.

Auſitis vel Auſetis | regio Idumçæ, hebraicè dicta Hus, vbi natus eſt Iob. ſic autem eſt appellata ab Aus, vna ex filijs Eſau. v. Husítis.

Auſonis vel Auſonitis | adiect; ideſt fœmina, vel res ab Ausónia, ſiue Italia. terra, vel ora Auſonis dicitur ipſa Itália ab Aúſone Vlyſſis filio, qui ibi Aruncam condidit, Lucilij poëtæ patriam. Auſonitis vnda, ideſt mare Italicum.

Azanitis eſt Phrygiæ pars, ita fortaſſe dicta ab Azáne Arcadis filio.



B

Babylonis adiect; vt mulier, ſeu res Babylonis, ideſt ex *B*abylónia, maioris Aſiæ regione.

Bacchis, quæuis Baccha, ſeu Bacchi ſacerdos.

*B*accheis adiect; vt Ephyre Bacchéis, ideſt Corinthus: ita olim dicta à nympha Ephyre. Baccheis verò à familia Bacchíadum, quæ annis ducentis Corinthum tenuit.

Baleárides (ſeu Baleares) inſulæ duæ ſunt propè *Hiſpa*niam Orientem versùs. ita dictæ à Bálea *H*erculis comite ibi relicto, hodie Maiórica, e *M*inórica.

Baſſaris quæuis Baccha, ſeu Bacchi ſacerdos (nam Bacchus etiam *B*aſsáreus appellabatur) ita dicta à βασσάρα, ideſt vulpes: vulpinis enim ex pellibus tunicas geſtabant Bacchæ Thrácicæ.

Baſinitis seu Baſanitis adiect, vt terra Baſinitis, ideſt regio, ſeu regnum Baſan, cuius Rex fuit Og.

Bebrycis Pyréne, Bebrycis, ſeu Bebrycis Regis filia; ab Hercule adamata, à qua Pyrenæus mons eſt appellatus; ibi enim ſepulta fuit.

Belis Damno (ûs) Beli filia, vxor *A*génoris, mater Phœnícis, & Iſæx (quam duxit vxorem Aegyptus) & Méliæ, quam duxit Dánaus, Ægypti frater.

Belides dicuntur quinquaginta filiæ Dánai, neptes Beli, quæ nupſerunt quinquaginta filijs Ægypti. Danaus autem, & Ægyptus erant fratres à Belo geniti. v. Danáides.

Be-

Berecynthis adiect; vt Echo, ſeu tibia Berecinthis, ideſt quæ reſonabat in Berecintho Phrygiæ monte, vbi Cybele Deorum mater colebatur.

Berenicis oppidum in Cherrhonéſo Epíri, conditum à Pyrrho: ita dictum à Bereníce eius vxore.
Ita etiam dicitur tractus Africæ Cyrenáicę, qui eſt circa Berenícen vrbem Africæ, in promontorio ſitam propè ſyrtes.

Berſabeis dicitur finis, ac terminus terræ *Iſraëlis* ab Auſtro; ita dictus à Bersábea Vríæ vxore.

Bethlemitis adiect; vt domus, vel nympha Bethlemitis, ideſt ex Béthleem ciuitate Iudæ, ſeu Dauid.

Bethlemis ſeu Bethleis adiect; vt rupes, vel terra Bethlemis, ſeu Bethléis, ideſt Bethlémica, ſeu Bethlemítica. Béthleem autem dicitur, & Bethlem, ſeu Bethle. quare & Bethleemis formari poteſt.

Bethulis gentile nomen, vt bellatrix, ſeu matrona Bethúlis, ideſt Iudith, vxor Manaſſis, ex vrbe Bethúlia, quę obtruncauit Holofernem ducem militiæ *Aſſyriorum*, cum Hebræis bellum gerentem, imperante Nabuchodónoſor.

Biſaltis Theóphane *Biſaltidis* filia, quam in ouem conuerſam Neptunus ſub arietis forma compreſſit: & ex ea natus eſt aries chryſomallus, ideſt aurei velleris, qui Phrixum in Colchos vexit.

Biſtonis adiect; vt *Biſtonis* ales, ideſt hirundo, quia Procne, ſeu Progne in hirundinem conuerſa, coniux Térei Regis Thráciæ fuit. Biſtones autem ſunt Thraciæ populi

populi. ita etiam dici posset Philoméla soror Prognes. Bistonis lyra, ideſt Orphei, qui Thracius fuit. Bistonis ora, ideſt Thrácia ipsa, ita dicta à Bíſtone Rege, qui Bistóniam Thracię regionem condidit. Bistonis Piéria, ideſt mons Thracensis, Pieria dictus, vbi versatus eſt Orpheus. huius autem vocis secundam syllabam produxit Apoll. Rhodius in *Argon.* scribens per ω sic:

Δέξατο Πιερίη Βιστωνίδι κοιρανέοντα.

Bistonis etiam dicitur lacus in Bistonia regione, in quo natantia omnia demerguntur.

Bistonides nymphæ dicuntur, ideſt Threissæ, quæ Orpheũ extinctum fleuerunt.

Bithynis Mélia nympha, ab Inacho adamata: ita dicta à Bithynia prouincia in Ponti exordio sita. hæc nympha peperit Neptuno Amycum, Bebrycum, seu Bebryciorum Regem.

Bithynis terra eſt ipsa Bithynia. Bithynis vnda eſt mare Bithyniam alluens.

Bœantis adiect; quod ab Orpheo tribuitur Themiscyræ, quæ regio eſt contermina Cappadóciæ: ita dicta à *Bœante* quodam, seu potius Dœante. v. Dœantis.

Bœbeis & Bœbis | lacus Thesſáliæ iuncosus, ita dictus, quia iuxtà illum sita eſt Bœbe Theſſaliæ vrbs; & propè hunc lacum surgit mons Oſſa. Bœbæ autem nomen dedit *Bœbes* filius Gláphyrę, qui Glaphyras condidit hanc Thesſaliæ vrbem.

Bœotis adiect; vt terra Bœotis, ideſt Bœótia: auris Bœotis, seu Bœotica, ideſt craſſa, & hebes, quales fuiſſe dicuntur Bœoti, qui minus percipiebant.

Boreetis seu Boreâtis | Arctos dicitur, siue Vrsa maior, appellata olim Calliſto, aut Elice. ita dicta à Bórea vento,

to, ab ea Cæli parte (ideſt à Septentrione) flante. v. Boréas.

Boſporis adiect; vt terra *Boſporis*, ideſt Byzantium (hodie Conſtantinopolis) iuxta quod eſt Bóſporus, ſeu *Bó*ſphorus Thracius. ita etiam dici poſſet Thrácia ipſa.

Bottiæis adiect; vt terra Bottiæis, id eſt Macedoniæ vel Botiæis pars; quam à Mygdónia diuidit Axius fluuius. in hac terra ſunt vrbes *Ichnæ*, & Pella, vbi natus eſt Alexander magnus, qui inde dicitur Pellæus. populi autem eius regionis dicuntur *Bottiæi*, ſeu *Bo*tiæi: ager verò Bottiæicus.

Brettanides dicuntur inſulæ *Británnicæ Océani*, fortè à *Brettánia* inſula eiuſdem maris inter *Británniam* occidentalem, & Thulen, quarum præcipua eſt Ibérnia, ſiue Hibernia.

Briſeis Hippodamía puella Lyrnéſſia, filia *Briſæ*, ab Achille rapta in bello Troiano. v. Lyrneſſis.

Brygeides ſunt inſulæ (quæ alio nomine Abſyrtides dicuntur) quia proximæ ſunt *Brygis* Italiæ (vel vt alij dicunt *E*píri) populis, in continenti habitantibus. duæ verò ex his præcipuè dicuntur Dianæ fuiſſe ſacræ. *Bry*teides autem appellantur ab *A*pollonio, ni ſubeſt error; Phrygeides alijs.

Bryteides v. *Brygeides*.

Bubaſis adiect; vt mulier *Bubaſis*, ideſt Cárica, ſeu Cáriæ regionis: nam *Búbaſus* eſt Cariæ regio.

Bubaſtis Iſis (idis) Ægyptiorum Dea, à *Bubaſio* vrbe Ægypti cognominata. per hanc ab Ægyptijs ſignificari Dianam auctor eſt Diodórus. alij verò Iſidis comitem per hanc intelligi autumant.

Byblis v. *Biblias*.

Byſtonis v. *Biſtonis*.

Byzantis adiect; vt mulier, seu res *Byzantis*, ideſt Byzántia, seu è Byzantio, quod eſt oppidum *Thráciæ*, hodie Conſtantinopolis.

C

Caberides tres nymphæ fuerunt filiæ Vulcani ex Cabera Pró tei filia: quibus omnibus templa dicata erant:

Cadmeis & Cadmis { Agáue, & *Autónoë*, Cadmi, & *Hermíones* (quam Pindarus, & Ouidius Harmóniam nominant) filiæ. Agaue autem cum alijs *Bacchan*tibus occidit Péntheum filium ſuum, quod vir abſtemius *Bacchi* orgia contemneret. poteſt etiam ita appellari Ino eiuſdem filia, & poſtea Dea marina, quæ à *Græcis* Leucóthea; à Latinis Matûta nuncupatur. item Sémele Cadmi,& Harmóniæ filia, Bacchi mater: quæ Iouis ad eam accedentis (vt ipſa met imprudens rogarat) fulmine conflagrauit.
vel adiect; vt arx, vel vrbs Cadmeis, ideſt *Th*ebána, à Cadmo extructa. dicitur etiam *Thebe* Cadmeis; Cadmus enim Thebas *Bœotias* condidit: vnde ipſa *Bœo*tia Cadmeis cognominatur.

Cadmeides, mulieres Thebanæ, in aues conuerſæ; dum Reginam perſequentes deflebant: ſic dictæ à Cadmo earum duce.

Calabris ſeu Calabritis { adiect; vt terra Cálabris, ideſt Calábria, Italiæ regio. Cálabris mulier, ſeu Calabritis, ideſt eius regionis.

Caledonis adiect; vt ora Calédonis, ideſt Scótia, Británniæ inſulæ pars, olim Caledónia appellata. ſilua Caledonis (quæ & Caledonia dicitur) ibidem erat, maximos alens vrſos. tertiam huius nominis ſyllabam producendam docet Ricciolius, reliquis correptis; nulla tamen auctoritate, & contra Græcorum ſcripturam: nam καληδόνιοι ſunt eius populi Ptolemæo.

Calydonis adiect; vt mulier Calydónis, ideſt è Calydóne Ætolorum vrbe; quæ fuit regia *Oénei*, patris Meléagri. vel è Calydónia Græciæ regione, quæ olim Æolis dicebatur.

item Deianíra Oénei, regis Ætóliæ, filia, ab Hercule amata, & à Neſſo Centauro rapta.

Capharides adiect; vt rupes, ſeu petræ Capharides, ideſt Eubœæ promontorium, Caphareus nomine, Helleſpontum versùs, impetuoſum propter ſcopulorum frequentiam, & crebros vndarum vortices.

Caralitis adiect; vt ora Caralitis, ideſt Cáralis vrbs, Sardíniæ caput, hodie Cágliari. Caralitis mulier, ideſt Caralitana.

Cariatides columnę, ideſt Lacónicæ, ſatis celebratæ apud antiquos. Cárja enim eſt *Lacóniæ* regio.

Cariatides etiam dicúntur mulieres Cáricæ, ideſt apud Cáriam ortæ. item ſaltationes quædam in honorem Dianæ, quales apud Cariam agi ſolebant.

Caris adiect; vt ora Caris, ideſt Cária regio: vel fœmina Caris, ideſt ex ea regione, cuius Regina fuit Artemiſia, filia Lygdámidis, vxor Mausóli.

Carmelis adiect; vt rupes Carmélis, ideſt Carmélus mons Tyriorum, Ptolemáidi ad mare imminens, vel alter Iudææ mons.

Car-

Carmelides dicuntur nymphæ eiusdem montis.

Carmelitis adiect, vt *Abigail* Carmelitis: fuit enim *Abigail* vxor impij Nabal, qui Carmélum montem Tyriorum incolebat. Carmelitis virgo dici posset Sancta *Terésia*, Carmelitarum discalceatorum fundatrix. Carmelitis proles est ordo, seu familia Carmelitana.

Caroeatis melissa, idest apis Lacónica: Caroea enim est loci nomen in Lacónia, melissa verò apud Græcos est apis.

Caryatis dicta est Diana à vico, seu parua regione Laconiæ, quæ Cárya dicitur: vbi templum erat Dianæ sacrum, eiusque nymphis. ita etiam dici solet quælibet mulier ex ea regione.

Caryatides dicuntur fœminę natę apud Caryam vrbem Peloponnési.

Ita etiam dicuntur quædam mulieres, quę ab Architectis statuuntur, collocanturque, vt manibus onus aliquod ędificij suffulciant: nam veteres fabri Caryatidum imagines huic muneri designabant. Atlantes autem, seu Telamónes dicebantur, si homines substruerentur ad onus aliquod sustentandum.

Caryotides dicunrur palmulę quędam cum suis fructibus, in Iudęa maximè prouenientes: ita dictę à capitis grauedine, quam gignunt: κάρος enim gręcè est veternus.

Casiotis, seu Cassiotis adiect; vt terra Casiotis, idest pars Arábię petréę; ita dicta à Casio monte eiusdem Arabię, in quo Magni Pompeii tumulus erat.

Caspis adiect; vt vnda Caspis, idest Caspij maris, ita dicta à populis Caspijs Scythici generis, qui eius accolę fuerunt.

Cassiterides (vel secunda ob necessitatem producta) seu Cattiterides, v. Hesperides.

Castalides dicuntur Musę à fonte Castalio, in radicibus Parnassi illis sacro. cui nomen fecit Castália virgo, quæ Apollinem fugiens, in hunc fontem versa est.

Castanis adiect; vt terra Cástanis, idest Castanáica, seu Thessálica: Cástana enim est vrbs Thessalię, & Ponti: vnde denominatę sunt castáneę nuces.

Castoris dicitur Andróthoë, Cástoris filia, vxor Perísthenis, mater Díctyos, & Polydectæ. Dictys autem iste in Serípho insula Pérseum, & Dánaën matrem eius educauit, & in ea insula diu regnauit.

Castoris item adiect; vt canes castorides, idest canes venaticæ: ita dictæ à Cástore Pollúcis fratre, venatoriæ artis peritissimo: qui canes ad venandum assuefecit. vel, vt alij volunt, canes sunt ex Cástore animali, & vulpe natæ: quæ ab Homéro appellantur Alopécides. sunt etiam apud Oppianum pisces quidam, querulum edentes sonum in litore: quod infausti ominis esse perhibetur indicium. ita lib. 1.

Κασορίδες τ' ὀλοαὶ δυσπενθέες, αἵ τ' ἀλεγεινὴν &c.

Castorides denique portæ erant in regione Eleutherolacónum in Græcia; ita dictæ à Castore, qui Lacon fuit genere.

Caucasis adiect; vt ales Cáucasis, idest Aquila, quæ in Caucaso Scythiæ, siue Indiæ monte, cor, siue hepar Prométhei exedebat.

Cauconis vrbs Achaiæ (quæ etiam dicitur Dyme) ita cognominata à fluuio Caucóne.

Cebrenis seu Cebrynis. Epérie nympha, Cebrénis, seu Cebrynis fluuij filia; à quo Cebrénia, seu Cebrynia vrbs, & re-

& regio Tróadis fuit cognominata.
vel Oenóne puella Phrygia, Cebreni Troadis fluuij filia, Paridi olim nupta.

Cecropis quælibet filia Cécropis Regis, vt Erse, Agláuros, & Pándrosos.
vel adiect; vt Cecropis ales, vel auis, ideſt Philoméla, & Progne Athenienſes, Cecropis olim Athenienſium Regis filiæ, deinde in aues mutatæ: Philomela quidem in luſciniam; Progne verò in hirundinem. Cécropis ora, ſeu terra, ideſt Athenæ.

Cecropides dicuntur mulieres omnes Athenienſes ab eorum Rege Cécrope.

Cedreatis dicta fuit Diana ab Orchomenijs, quòd eius ſimulacrum in ingenti Cedro eſſet erectum. ita etiam dici poſſet mulier nata apud Cédreas, quod eſt Máriæ oppidum.

Cenerethis adiect; vt Doris, ſiue vnda Cenerethis, ideſt mare Tiberiadis, ſeu lacus Geneſareth, qui eſt ad Oriētem Iudææ, quem Iordanis interfluit, ita dictus à Cénereth vrbe iuxta hunc lacum. v. Tiberias.

Centauris adiect; vt pugna, vel ira Centauris, ideſt Centaurorum, qui fuerunt Theſſaliæ populi, & cum Piríthoo, Théſeo, & Lápithis pugnauerunt.

Cephalœditis adiect; vt mulier, ſiue arx Cephalœditis, ideſt Cephalœditana. v. Cephalœdias.

Cepheis Andrómeda filia Céphei, Æthíopum Regis, & Caſsíopes: quæ ſcopulo à nymphis marinis alligata; à Pérſeo verò liberata; tandem Mineruæ beneficio inter aſtra collocata fuit.
vel Aërope eiuſdem filia, quæ Marti Aëropum genuit: ſed inter pariendum efflauit animam.

Terra Cepheis dicitur Æthiópia, à Cépheo Æthíopum Rege.

Cephiſis seu Cephiſſis | Lilæa nympha, Cephíſi fluminis filia. vel Daulis nympha, eiuſdem filia; à qua Dáulidi, oppido Phócidis, nomen inditum. vel Melæne eiuſdem filia, Delphi mater.

vel adiect; vt vnda Cephíſis, ideſt aqua fluminis Cephiſi, qui ex Parnaſſi radicibus fluit, diciturque Bœótiæ fluuius, & ingreditur in paludem, quæ ab eo dicitur etiam Cephiſis, ſeu Cephiſſis. hæc ab alijs Copáis vocatur. v. Cephiſias. A Pindaro tamen Ode 12. Pythiorum Cephéſis dicitur. vnde Cephesis canna, ſeu fiſtula, quia apud Cephiſſum naſcuntur calami aulétici, ideſt apti ad fiſtulas, ſeu tibias formandas.

Ceraſtis dicta eſt Cyprus, quòd procurrentibus promontorijs velut infeſtis cornibus aſſurgat: κέρας enim græcè eſt cornu.

Cerneatis dicitur Lycóphroni poëtæ, pro Cyrneatis inſula, ideſt Cyrnos, ſeu Córſica, inſula in mari Liguſtico; ita dicta à Cyrno Rege. ibi taxus arbor prouenit, quæ Cyrnéa dicitur Virgilio.

Chæronis adiect; vt terra Chæronis, ideſt Chærónica, ſiue Bœótica: Chæronéa enim eſt vrbs Bœótiæ.

Chalcitis regio, & tribus quædam apud Erythræos Ióniæ populos. eſt etiam nomen gentile, quo mulier nata Chalcide, in vrbe Scythiæ, appellatur. ſicuti & regio quædam in ipſa Scythia; & in alijs locis.

Chalcedontis dicta fuit Eubœa Ægæi maris inſula, à Chalcodonte filio Abantis, qui ibi regnauit.

Chalinitis, ideſt frenatrix, erat Mineruæ epíthetum apud Corin-

Corinthios, quia frenum illa Pégaso imposuit, frenatumque Bellerophonti dedit.

Chananæis dicitur terra Chánaan, promissa Israëlitis.

Chananitis adiect; vt mulier, aut res Chananitis, idest terræ Chanaan, seu terrę sanctæ, aut Palęstinæ.

Chaonis adiect; vt Cháonis ales, idest columba: Chaonis arbor, idest quercus, à Chaónia, vbi Dodonæa silua erat, in qua columbæ oracula reddebant. Chaonis terra, dicitur Epírus, cuius pars montana est Chaonia: ita dicta à Cháone Héleni fratre. Chaonis Dodóna dicitur, quia vrbs est Ahaóniæ.

Chaonides canes putabantur optimæ prolis, útpote originem trahentes à cane illo æneo Vulcani, quem ipse conflauit, & animauit.

Charonis adiect; vt cymba Charónis, idest qua Charon (ontis) portitor animas transuehebat. auræ Charonides, idest venti inferorum. vmbræ Charonides, idest animæ inferos aditurae.

Chesiades dictæ sunt nymphæ fluminis Chesij, qui est in insula Samo.

Chironis adiect; vt rupes Chironis, idest Pélion, Thessáliæ mons, vbi Chiron Centaurus habitabat.

Christis seu Christéis } adiect; vt sponsa Christis, id est Christo sponsata: fides, seu religio Christéis, idest christiana.

Chrysis & Chryseis } Astymone filia Chrysæ, sacerdotis Apollinis, è Thebis Cilicijs capta, & Agamémnoni tradita. Chryses autem, & Brises (vnde Briséis) fratres erant, quorum pater fuit Ardys.

Cia-

Cianis adiect; vt terra Ciânis, ideſt ager vrbis Cij; ſeu terra proxima Cio. eſt autem Cius (vnde Ciánus gentile nomen) vrbs, & fluuius Myſiæ: ita dictus à quodam Cio, ductore Mileſiorum. in hanc enim vrbem cõmigrarunt primò Myſij, deinde Cares, tum Mileſij.

Cimmeris Troadis vrbs, Antandros prius, & Edónis appellata, à Cimmerijs Aſiæ populis ita dicta. ſic etiam dici poſſet Cimmeris vnda, ideſt Bóſphorus Cimmerius. Cimmeris vmbra, nox, calígo, ideſt nimis denſa, & atra; vti erant tenebræ, in quibus verſabantur Cimmerij, Italiæ populi, in cauernis habitantes.

Cinyreis Myrrha Cínyræ Cypriorum Regis filia, quæ cum patre fraudulenter concubuit, & Adónim genuit.

Circeis dici poteſt Ardea Vlyſſis ex Circe filia, à qua nomen inditum Ardeæ, Italiæ vrbi.
vel adiect; vt herba Circéis, ideſt venenifera. fuit enim Circe maga inſignis.

Ciſſeis Hécuba, Príami vxor, filia Ciſſei Regis Thráciæ, iuxta Euripidem, & Virgilium.

Citéis v. Cytéis.

Cithæronides dicuntur nymphæ, quæ antrum habuêre in Cithærône Bœótiæ monte, & priſcis temporibus ibi eas vaticinari dictitabant.

Citóris v. Cytóris.

Clareotis dicitur Tribus vna ex quatuor, quæ erant apud Tegeátas in Arcádia; ita dicta à Claros, quam vrbem ſortitus eſt vnus ex Arcadis filijs.

Cleobulis dici poteſt Cleobulína, ſiue Eumétis (idis) filia Cleobúli Philoſophi, quæ ænigmata verſu hexametro ſcripſit.

Cleo-

Cleopatris oppidum in Ægypto, antiquæ Nili fossæ proximum: ita dictum à Cleópatra Ægypti Regina.

Clymeneis seu Clymenis filia quæuis Clymenes, quæ fuit vxor solis, & mater Phaëthontis, eiusque sororum.

Clymenéides dicuntur sorores Phaëthontis, in alnos mutatæ. v. Phaëthontiades,

Cnageatis epith. Dianæ, quæ ita dicta est à Cnágeo quodam, qui templum ei condidit.

Cocalis quælibet filia Cócali, Regis in Sicilia, quæ plures fuerunt, ac Dædalum è Creta profugum occidisse dicuntur; æstuante primùm aqua, deinde frigida eum obruentes.

Cocytis Menthe, seu Mentha, filia Cocyti, fluminis inferorum, quam Prosérpina in herbam mentham commutauit.
est etiam adiect; vt nympha Cocytis, idest Menthe ipsa. vnda Cocytis, idest aqua dicti fluminis.

Cœceis vel Cœantis Latona filia Cœi Titanis, & Phœbes; mater Appollinis, & Dianæ.

Colchis seu Colcheis dicitur Medéa Colchórum Regis filia maga: cuius herba venenifera vocabatur Ephémeron: eodem enim die enecabat, internis labris sæua prurigine adustis. hæc herba à Latinis bulbus agrestis appellatur.
vel quælibet mulier ex ea regione: quæ regio Colchis etiam appellatur, seu terra Colchis.

Colænis vocabatur per epith. Diana in oppido Myrrhi-

nunte: ita dicta à Colæno, qui in Attica (vt Myrrhinusij credi volunt) ante Cécropem regnauit. à quibusdam autem scribitur Colenis absque diphthongo.

Colonides (plur.) oppidum Messéniæ iuxta Corónen vrbem à Colæno ex Attica profecto conditum. Pausan. in Messénicis.

Colotis epith. Veneris, quæ & Cólias dicebatur à Cólia Atticæ promontorio, vbi colebatur.

Conchylis adiect; vt conchylis purpura, quia sanguine Conchyliorum inficiebantur lanæ. item tiara conchylis, idest purpurea.

Condyleatis dicta est Diana, quæ in quodam vico Arcádiæ, cui nomen Condylea, lucum, & fanum habebat.

Copais lacus Bœótiæ, ita dictus ab oppido vicino, quod appellatur Copæ: vnde Copaides anguillæ valdè celebres, quarum præcipuas Bœotij coronatas Dijs immolabant.

Coronis fuit filia Corónei Regis in Phócide, quæ à Neptuno adamata, ne violaretur, ope Palladis in Cornícem fuit conuersa, ac ipsius Palladis comes effecta: sed deinde ipsimet Mineruæ inuisa, & à suo templo submota. fuit & alia Phlégyæ filia (quam & Arsinoën dictam, & Leucippi filiam aliqui fuisse affirmant) & Larissæa, idest Théssala, ab Apolline adamata: ex qua Apollo Æsculapium suscepit.

vel Anaxíroë Coróni filia, Epéi Eleórum Regis vxor.

Corsis adiect; idest res, vel fœmina, ex Córsica insula in mari Ligústico, quæ antea dicebatur Cyrnos: vnde Cirnéa taxus, quia frequens est hæc arbor feralis in ea insula. Corsis etiam dicitur ipsa insula, à Corsa muliere, bu-

bulci

bulci serua, quæ illi nomen dedit. vel à Corso, Herculis, vt aiunt, filio.

Cortynis v. Gortynis.

Corybantis adiect; vt silua, vel Ida, vel Creta Corybantis, idest Corybántica, à Corybántibus, qui hæc loca tenuerunt. *Ida* autem est mons nemorosus Phrygiæ, & Cretæ: & in vtroque habitarunt Corybantes, Cybeles Deæ sacerdotes.

Corycides dicuntur Musæ, seu nymphæ montis Parnassi, vbi est Corycium antrum, Musis sacrum.

Cotyleis adiect; vt aqua, seu palus Cotyleis, id est lacus Cutilius propè Cótylen, Sabinorum oppidum: in quo lacu (qui vmbilicus est *Itáliæ*) insula quædam mouetur, & natat, quæ etiam Cotyleis dici potest.

Cotyleides dicuntur nymphæ dicti lacus frigidi, & sulphurei: quæ Commótiæ item appellantur.

Craterides nymphæ aquarum Neapolitanæ, seu Calabrésesita dictæ à Cratére, qui est sinus in litore Campáno.

Cratheis seu Crateis } fuit quædam nympha vxor Phorci, Scyllæ mater, & Crathidis Calábriæ fluminis (vulgò Crati) filia: hanc verò Homerus Cratæin vocat.

Crenis, seu Crenæa, dicta fuit vna è septem portis Thebarum à fonte proximo: κρήνη enim græcè est fons.

Crenides dicuntur nymphæ fontium, vt apud Scholiasten *Th*eócriti habetur. quin & plurali numero inuenitur pro dicta *Th*ebarum porta: subintelligitur enim πύλαι, idest portæ.

Creontis Mégara (Pindaro Mégera) Creontis Thebano-

rum Regis filia; quæ Herculi octo peperit filios, quos ipse, Iunonis indignatione in rabiem actus occidit. v. *Heraclidæ*.

vel Iocasta eiusdem Regis filia (alijs verò soror) vxor Laij, Oedipi mater, ac tandem etiam coniux.

vel Creûsa, seu Glauca, Creontis Corinthiorum Regis filia, quam Iason, repudiata Medéa, vxorem accepit.

vel Henióche, & Pyrrha Creontis filiæ.

Cretheis dicitur Hippólyte, seu Hippolyta, Hippolyti filia: & vxor Acasti Magnésiæ Regis: quæ Péleum adamauit, eumque falsi criminis accusauit. ita dicta, quia fortè à Crétheo genus ducebat: ni potiùs sit nomen proprium.

Cretheis adiect; vt virgo Crethéis, idest Helle, soror Phrixi, Créthei neptis ex fratre. fuit enim filia Athamantis, cuius frater Crétheus fuit.

Cretis adiect; vt res, vel fœmina Cretis, idest Cretēsis, siue è Creta, hodie Cándia. Cretis dicitur Vrsa maior, seu Callisto à Michaële Anglico apud Textórem: sed deceptus videtur, nam Arcádia, vbi nata est Callisto, fuit Peloponnesi regio, non Arcadia illa, quæ est Cretæ oppidum.

Cromitis locus, seu ager in *Arcadia*, ita dictus à Cromis. Cromi autem fuerunt Arcadiæ populi, à Cromo Lycáonis filio sic appellati; apud quos ager ille patebat.

Crotoniatis adiect; vt fœmina, vel acies Crotoniatis, idest ex Crotóne, vrbe quondam celebri in Calábria. Crotoniatis terra, seu ager Crotoniensis, est post oppidum Scylleeium, siue Scyllacium, hodie Squilláci.

Crotopis Psámathe, Crotópi filia, mater Lini.

Cu-

Curetis adiect; vt terra Curetis, idest Creta, seu Cándia; ita dicta à Curetibus, seu Corybantibus, antiquissimis Cretæ populis, & Cybeles sacerdotibus, qui Iouem æris tinnitu paruulum custodiebant.

Curetis etiam dicta fuit olim Acarnánia, quæ est regiuncula, & pars Epíri, quam ab Ætólia Achelóus amnis, vel Pindus mons diuidit.

Curitis epith. Iunónis ita dictæ, vel quia curru vtebatur, vel quia hasta, quæ apud Sabinos quiris dicebatur, seu curis: vel quia apud Cares Sabinorum oppidum colebatur.

Cybeleis adiect; vt ara Cybeleis, idest Cybeles, Deorum matris apud Ethnicos.

Cybelis vel Cybelis adiect; vt silua, vrsa, fistula Cybélis à Cybelo, & poëticè Cybélo, Phrygiæ monte, vbi primùm Deæ Cybeles, seu Cybeles, sacra instituta fuêre. Cybélis, seu Cybeléis dicitur Aura, puella Phrygia, *Dianæ* comes; quæ Baccho *Bacchum* genuit.

Cycneis vel Cygneis adiect: vt penna, vox, volucris Cygneis, idest cygni, seu cycni auis.

Cycnitis regio, in qua Cycnus quidam imperauit.

Cyllenis adiect; vt virga Cyllenis, idest Caducéus (seu Caducéum) quem Apollo tradidit Mercurio, eoque contentiones sedabat. Harpe Cyllenis, idest Mercurij gladius, quo Pérseus vsus est ad Medúsam necandam. ita dictus, quia Mercurius dicitur Cyllenius, à Cylléne monte Arcadiæ, vbi natus est.

Cynaréis v. Cinyréis.

Cynosuris adiect; vt Vrsa, vel Arctos Cynosuris, idest Vrsa minor, signum cæleste, quæ & Phœnice, & Cynosûra dicitur, id est cauda canis; nam propè canem cælestem sita est. Cynosuris etiam, vel Cynosurèis est gentile fœmin. à Cynosura formatum, quod est Arcadiæ, & Achaiæ promontorium; ita dictum à Cynosúro Mercurij filio. itaque Cynosuris arx, seu petra dici potest promontorium illud.

Cyparisseis adiect; vt vmbra. vel frons cyparisseis, idest cyparissi, seu cupressi arboris.

Cypris Venus, quæ in Cypro insula maximè colebatur.

Cypselis *Mérope* Cypseli *Arcadiæ* Regis filia, Cresphōtis Messeniorum Regis vxor, quæ illi plures filios, & *Aépytum* genuit natu minimum, ac successorem patri in regnum.

Cyrneátis v. Cerneatis.

Cyteis seu Cytais & Cytæis adiect; vt mulier, seu terra Cyteis, idest Colchica; ita dicta ab vrbe quadam Colchidis nomine Cyte, seu Cyta, aliàs Cytæa. ita verò cognominari potest Medéa, Æétæ Colchōrum Regis filia.

vel Circe mulier venefica, apud Colchos nata, in Æa scilicet, Colchidis peninsula.

Item saga quælibet, seu maga, à dicta vrbe, eiusmodi fœminis, herbisque venenatis abundante, Cytéis dicitur.

Cytæis (falsò Cytéis) dicitur Bartholino apud Textorem vrsa maior. sed simili errore deceptus, quo Michaël Anglicus, Cretida illam appellans. Cytæum enim est Cretæ vrbs, hodie Candia, Lycaonis verò filia, Callisto

fto dicta, non fuit Cretenfis; fed Arcas: quamuis Arcadia, & Peloponnefi regio fit, & Cretæ oppidum.

Cytheris & Cythereis } Venus à Cythéris, feu Cythéra infula contra Cretam, in quam ferunt primùm Venerem vectam marina concha.

Item adiect; vt concha, myrtus, columba Cytheris, quia fcilicet Veneri facra funt.

Cytoris adiect, vt buxus Cytóris, ideft nata in Cytóro, monte Paphlagóniæ, qui abundat hac planta. vnde dicitur pecten Cytoriacus, ideft búxinus.

D

Dactylis adiect; vt vuæ, feu pfythiæ dactylides, ideft quę funt digitali gracilitate. vnde fiunt vuæ paffæ aliarum omnium optimæ, Italis Zibibo. ita dicta à δάκτυλος, qui græcè eft digitus.

Dalmatis, mulier, feu res ex Dalmátia, parte Illyrici: terra Dalmatis dicitur ipfa Dalmatia.

Danais Amymóne Dánai filia, quæ in fontem eiufdem nominis mutata fuit, poftquàm Nauplium Neptuno peperit:

Danaides (vel prima ob neceffitatem producta) funt quinquaginta Dánai, Argiuorum Regis, filiæ; quæ nocte vna fuum quæque maritū occiderunt, præter Hypermneftram, quæ Lynceum virum fuum feruauit. earum pœna apud inferos eft, dolium pertusū implere affiduè, è quo tantundem effluit, quantum infunditur. v. *Bélides*

des. ipſarum nomina, & maritorum pariter commemorat Apollodórus lib. 2. Biblioth.

Danis, res, ſeu fœmina ex Dánia, quæ eſt peninſula Océani ſeptentrionalis.

Dardanis adiect; vt Caſſandra Dardanis, ideſt Dárdani neptis: fuit enim filia Priami, qui Dardani filius erat. Matres Dardanides dicuntur Troianæ mulieres.

Daulis eſt oppidum Phocidis, ita dictum à nympha quadam, cui nomen Daulis.

Daulides aues, ſeu velucres, dicuntur Hirundines, & Luſciniæ, nam Progne, & Philomela in has aues conuerſæ, Daulide habitabant.

Delphis adiect; vt Delphis virgo, & intelligitur ſacerdos quælibet Apollinis: ita dicta à Delpho Bœótiæ oppido, vbi ille colebatur. Delphis ora, ſeu terra eſt ipſa vrbs, quæ à Græcis vmbilicus terræ putabatur.

Dendritis epith. Hélenæ, quæ ita apud Rhodios, vbi fanum habuit, dicebatur, quòd ad arborem ſuſpenſa fuiſſet, & ibi necata ab ancillis Polyxûs, vxoris Tlepólemi. δένδρον autem græcè eſt arbor.

Daois Proſérpina filia Céreris. Ceres enim nominabatur à Græcis Δηώ, nam δηῶ eſt inuenio, quaſi inuentura; quia filiam quærens inuenire ſperabat. Ouid. autem 6. metamorph. corripit primam ſyllabã huius nominis dũ ait. Mnemoſynen paſtor, variuſque Deoida ſerpens.

Derrhiatis vel Derrheatis dicta eſt Diana à Derrhio, qui vicus eſt nõ lõgè abſens à Taygeto monte; vel iuxta alios, à Derrha Lacónicæ loco.

Deucalionis ſeu Deucalis Protogenía Deucalionis, & Pyrrhæ filia; mater Aëthlij, qui pater fuit Endymiónis.

Deucalionides adiect; vt aquæ, seu pluuiæ Deucalionides, seu Deucalionéæ, ideſt quæ Deucalionis tempore alluuiem fecerunt in Theſsália.

Dicarchis adiect; vt ora, ſeu terra Dicarchis, ideſt Puteolana: nam Putéoli dicebantur olim Dicarchæa, ſeu Dicæarchía, ideſt Principatus iuſtus. ita quidam Poëta.

Parthenopes inter, magnæque Dicharchidos arua.

Dodonis adiect; vt arbor Dodonis, ideſt quercus. vel fagus Dodonis,&c.ita dicta à ſilua Dodonæa in Chaónia.v. Dodonias.

Dodonides, nymphæ ſunt Liberi patris,ideſt Bacchi nutrices. ita dictæ à Dodona Epíri vrbe, quæ etiam Atlantides, & Hyades vocantur, ſeptem numero, quarum nomina ſunt Ambróſia, Eudóra, Pasíthoë, Corônis, ſeu Coróne, Plexaüra, ſeu Plexaüris, Pytho, Tyche.

Doeantis adiect; vt terra Dœantis, ſeu ſilua Dœantis, ideſt campus, ſiue ager Dœantius in Phrygia,vbi etiã eſt nemus Dœantium: & quia propè Themiſcyram erat, ipſa Themiſcyra Dœantis dicta eſt. nomen autem dedit Dœas (antis) frater Acmonis,à quo item Acmonium nemus (circa Thermodontem fluuium) eſt appellatum.Orpheus autẽ in Argonautis Bœantis ſcripſit, non Dœantis:niſi fortè ſit librariorum, ſeu typographorum error.

Dolionis eſt regio, aliàs Doliónia, propè Cyzicum in Propontide.

Dolopeis, adiect; vt vrbs Dolopeis, ideſt Theſsália, ita dicta à Dólope quodam,vnde Dólopes populi,ſeu gens Theſſalia. Ctímene Dolopeis, ideſt Theſſalica: fuit enim Theſſaliæ vrbs.

hunc montem ignota coluit, ibique sepulta fuit.

Erechthis & Erechtheis { Creûsa Eréchthei filia, quam Apollo adamauit; & vxor fuit Xuthi, qui filius erat Hellénis, nepos Deucaliónis.

vel Orithyia Eréchthei, siue Eríchthei, Atheniensium Regis filia, à Bórea rapta, vt eius vxor foret: cui genuit Zeten, & Cálain. v. Eumolpis.

vel Procris (idis) eiusdem filia, Céphali vxor.

vel Pandóra, & Protegenía eiusdem filiæ. v. Hyacinthides.

Ita etiam dicitur Tribus quædam in Attica.

Eridanitis adiect; vt Ephyre nympha Eridanitis, idest Erídani Italiæ fluminis filia.

Erinnys (yos, vel ydos) est apud Græcos Furia. quo nomine intelligitur, vel Alecto, vel Tisíphone, vel Megæra. ita etiam apud Thelpusios Græciæ populos, & ab Antímacho poëta Græco per appositum vocatur Ceres: quòd furore correpta sit, cum Neptunus sub equi forma eam, in equam versam vitiauit. Pausan. in Arcádicis.

Eriopis adiect; vt proles Eriópis, idest Cumæ, Æólicæ vrbis, populi: ita ab Homéro dicti, quia fortasse magnos habebant oculos; id enim est græcè ἐρίωπις.

Erymanthis adiect; vt Vrsa Erymanthis, idest Vrsa maior (dicta etiam Hélice, seu Callisto, atque Arctos) ab Erymantho monte Arcádiæ, in qua ipsa nata est. potest etiam ita appellari ipsa Arcadia (& tunc subintelligitur regio, siue ora) vel ab hoc monte, vel à flumine eiusdem nominis.

Erythéis nomen proprium. v. Hesperides.

Erythreis adiect; vt vnda, vel ora Erythreis, idest maris

Ery-

Erythræi, ſeu rubri; ita dicti ab Erythra Rege.

Eſchatiotis eſt palus poſt Iſthmum: ita dicta, quòd multi cum Eumolpo militantes, à Thrácia profecti Athenas, in ea palude abluti, mortui ſunt; tanquam ἐσχάτῳ, ideſt vltimo lauacro vſi. vel à Neptuni filia Eſchatiotide, ibi habitante. v. Gorgópis.

Eſſenis adiect; vt palma Eſſenis, ideſt nata in Eſſenorum (qui ſunt Palæſtinæ populi) ſilua. columba Eſſenis, nam apud hos populos lege cautum erat, ne columbas quis interficeret, quia veluti ſanctas habebant. Engadda Eſſenis, nam vrbs hæc, ſeu vicus apud hos erat populos; ibique etiam vinea balſami florebat.

Eubois adiect; vt tellus Eubois, Parthénope, ſeu Neapolis, ab Euboicis, ſeu Chalcidenſibus colonis condita.

Eubois ora, ſeu terra dicitur ipſa Eubœa, ſiue Euboia, inſula maxima Ægæi maris, hodie Negroponte.

Euippis vel Euippeis quælibet ex nouem filiabus Píeri, & Euippes in picas conuerſis. quare & ipſa pica auis (Italicè Gazza, & apud Siculos Carcarazza) Euippis ales vocari poſſet.

Euipides, per ſyncopen efferri poſſe opinantur aliqui pro Euippides, ideſt Euippes filiæ. v. Pæonides.

Eumenides dicuntur tres inferorum furiæ, Alecto, Tiſíphone, Megæra; ita dictæ quaſi beneuolentes, ſeu bonæ mentis, per Antíphraſin, cum potius malæ mẽtis, & maleuolæ dici deberent.

Eumolpis Orithyia, Eríchthei Athenarum Regis filia, ita dicta ab Eumolpo, olim etiam Athenarum Rege.

Euphra-

& nullis vnquam vulneribus posset sauciari. ita dicta, quia dum mas erat, Cáeneus vocabatur, & filius fuit *Elati*, siue iuxta alios, *Elátei*.

Eleatis terra, siue Eleates ager, dicitur planities *Eleæ*, seu Héliæ, quæ hodie Vélia appellatur, Italię vrbs.

Electris adiect; vt porta Electris, quæ fuit vna è septem portis Thebarum; ita dicta ab *Electra* Cadmi sorore. dicuntur etiam & plurali numero portæ Electrides, seu Electræ.

Electrides dicuntur insulæ, iuxta Erídani ostia, quò decidisse fertur Pháëthon; & ab electro, siue súccino, è populis, siue alnis destillante sic appellantur. ita etiam dicuntur insulæ Glessáriæ sparsæ in mari, siue in Oceano Germánico; quòd ibi electrum nascitur.

Electrides item dici possunt ipsæ Phaëthontis sorores in alnos conuersæ, vnde stillare electrum fabulantur. vel ipsæ quoque alni arbores.

Electryonis Alcména, Electryónis, Regis Mycenarum filia, ex Lysíndice; *Herculis* mater. secunda autem corripitur à *Græcis*, vt apud Apollonium Rhod.

Τηλεβόαι μάρναντο, καὶ υἱέες Ἠλεκτρύωνος.

Eleis adiect; vt mulier Eléis, idest in Elide nata. *Eleis* victoria, idest olympíaca: Eléi enim, populi Peloponnési, Olympiorum præfecturam habebant.

Eleleis mulier Baccha, seu Bacchans; ita dicta, quia Bacchus dicitur Eléleus, idest vociferator.

Elephantis adiect; vt papula Elephantis, idest lepra, quæ etiam dicitur Elephantiasis, siue Elephantíaca: nam Elephas similibus lepræ crustis circumtegitur.

Engaddis adiect; vt villa, silua, palma, vinea Engaddis, idest

idest quæ erant propè montes Engaddi: qui locus celebris fuit vineis balsami iuxtà Bethleem.

Emathis adiect; vt terra, siue ora Emathis, idest Macedónia, olim dicta Emáthia ab Emathióne fratre Mémnonis. Pharsálus Emathis dicitur, idest Thessálica; nam interdum Emathia dicitur Thessalia à poëtis, vtpote Macedoniæ vicina. ibi autem arat vrbs illa.

Endeis videtur nomen proprium eius, quæ fuit mater Telamónis, & Pélei, vt indicat Pindarus ode 5. Nemeor. quamuis vulgò Ægína dicatur eorum mater.

Epapheis Libya Epaphi filia, quæ Neptuno genuit Belũ, qui dictus est Iupiter Libyus.

Ephrateis adiect; vt ora Ephrateis, idest regio Iudææ, in qua continetur Ierusalem, Tecuë, Bethleem; imò Bethleem ipsa dicebatur Ephrata.

Ephyreis adiect; vt ora, seu terra Ephyreis, idest Corinthus, vrbs Achaiæ celeberrima, quæ olim Ephyra, seu Ephyræa fuit appellata ab Ephyra puella, Oceani filia, Epiméthei vxòre, quæ prima omnium terram illam coluit. v. Ephyreias.

Epimelides eædem nymphæ dicuntur, quæ Epimeliades; idest arborum pomiferarum. v. Epimeliades.

Epimethis (vel Epimethéis) Pyrrha Epiméthei, & Pandóræ filia, Deucaliónis vxor.
vel Ephyra, quam aliqui Epiméthei filiam, alij vxorem faciunt. v. Ephyréis.

Ercteis adiect; vt rupes Ercteis, idest Ercta mons in Sicilia iuxta Panormi portum, seu molem maritimam. Virgo Ercteis dici potest D. Rosalía Panormitana, quæ hunc

Dorippeis dici potest quælibet ex tribus Anij, & Dorippes filiabus . v. Anias.

Doris adiect; vt fœmina Doris, idest Dórica. Doris terra, idest ipsa Dorica regio. Doris dialectus, id est lingua Dorica, vna ex quatuor, seu quinque, quibus Græci loquebantur.

Doris insula dicitur Ægína à Pindaro in Némeis.

Doris etiam est nomen proprium cuiusdam nymphæ marinę, quæ Oceani, & Tethyos filia fuit, Nérei vxor, & soror.

Doritis epith. Veneris apud Gnidios, quia fortasse Dores Græciæ populi eam colebant. Dores autem, seu Dorica regio, dicti sunt à Doro Hellénis filio.

Dotois adiect; vt ora, seu terra Dotois, idest Dotium, vrbs Thessaliæ, in quam Gnidij migrauerunt; ita dicta à Doto, nympha marina.

Drepaneis vel Drepanitis adiect; vt ora Drepanitis, idest Drépanum Siciliæ vrbs, quæ & Drépane dicitur, vulgò Trápani. Virgo Drepanitis dici potest imago marmorea Beatæ Virginis, quæ ibi religiosissimè colitur.

Dryopeis Metra, filia Erisíchthonis, & Dryopes, in varias figuras transformari solita. v. *Triopéis*. ita etiam per epítheton dici posset lotos arbor, in quã mutata dicitur Dryope Andraémonis vxor.

Dryopis adiect; vt ora Dryopis, idest Thessália: nam Dryopes sunt populi circa Oetam, Thessaliæ montem, ita dicti à Dryope Eurípyli filia.

Dymantis Hécuba, Dymantis filia, Priami Troianorum Regis vxor (vt ait Homérus) quam in canem deinde mutatam poëtæ fingunt.

est

est etiam Dymantis, seu Dymánis, tribus Lacedaé mone, ita dicta à Dymante Ægimij filio. scholiastes Pind. ode 1. Pythior.

Dyrrhachis adiect; vt mulier Dyrrhachis, id estè Dyrrhachio, vrbe Lacóniæ. vel ex alia vrbe Macedóniæ, in ea parte, quæ Adriatico mari incumbit: & hæc dici posset Dyrrhachis ora, in quam Cicero exulauit. ita dicta à Dyrrhachio, seu Dyrrhacho eius conditore.

E

Echinades, insulæ quinque ad ostium Acheloi Ætóliæ fluminis (in quas totidem Naiades à Neptuno mutatas fingit Ouidius) ita dictæ à quodam vate Echíno: vel quia Echínis óstreis abundant.

Edonis mulier quæuis Threissa, ita dicta ab Edóne Thráciæ monte. ora Edonis dicitur ipsa Thracia. Edonis ales, seu tristis, aut querula Edonis, dicitur Philomela, in auem sui nominis conuersa; quod accidit, dum esset in Thracia apud Téreum Thraciæ Regem. de secunda syllaba huius nominis mox loquar.

Edonides dicuntur mulieres Bacchantes, nam omnes fuerunt Threissæ. secunda tamen per systolen corripitur à Lucáno lib. 1. Pharsal.

Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo.

Edrais adiect; vt terra, seu regio Edrais. fuit autem Edrai terra Basan, vbi Og Rex cum Israëlitis pugnauit.

Elateis dicitur Cænis (idis) mulier Théssala pulcherrima, quæ à Neptuno impetrauit, vt in virum euaderet, &

Euphratis adiect; vt vnda, ſeu ripa Euphratis, ideſt fluuij Meſopotámiæ, qui Euphrátes dicitur.

Euphrátis etiam dicitur Syria ipſa ab Euphrate fluuio ſibi vicino.

Eurotis Sparta Eurótæ, fluminis Lacóniæ, filia; à qua Spartæ vrbi (quæ poſtea Lacedæmon dicta) nomen datum. vel adiect; vt vnda Eurotis, ideſt dicti fluminis: myrtus Eurotis, quia frequens eſt apud Eurotam.

Eurytis Iöle puella, Euryti Oechálíæ Regis filia, quam ipſe pater Hyllo, Herculis filio, tradidit vxorem.

vel Dryope Euryti filia, Andraémonis vxor, quæ in loton arbuſculam conuerſa eſt.

F

Facelitis Diana dicitur à quibuſdam, pro Faſcelítis, ſeu Faſcéllina: nam φάκελος eſt græcè faſcis, ſeu fax. Diana verò eadem erat ac luna, quæ eſt cæli fax.

Faſcelis ſeu Faſcelitis epith. Dianæ, ita dictæ à faſce lignorum, in quo Oreſtes, & Iphigenía eius ſoror, illius ſimulacrum abſconderunt, cum ex Táurica regione (vbi Thoas, antis, regnabat) in Italiam illud afferrent.

G

Galaaditis | regio Gálaad: vel res, ſeu fœmina eius regio-
ſeu
Galaditis | nis in Galilæa.

Galeotis | dicta eſt Hybla Megarenſis, Siciliæ vrbs, ita di-
ſeu | cta à Gáleo Apollinis filio, cuius populi Galeó-
Galeátis | tæ, ſiue Hyblæi portentorũ interpretes erant.

Galilæis adiect, vt terra, ſeu mulier Galilæis, ideſt è Galilæa regione, ſiue ſit ſuperior (quæ dicitur Galilæa gentium) ſiue inferior, vbi Názareth ſita erat.

Gangetis adiect; vt bacca, ſeu gemma Gangetis, ideſt Indica: Ganges enim eſt Indiæ fluuius, gemmis abundans. ales, ſeu volucris Gangetis, ideſt Phœnix, qui ales Gangeticus dicitur ab Auſonio, pro Indicus.

Gangétis nympha dicitur Limníace, ſeu Lemníace, Gangis filia, quæ Atyn Indum adoleſcentem peperit.

Garamantis adiect; vt gemma Garamantis, ideſt Indica, à populis Garamantibus in India. Dipſas (adis) etiam per appoſitum Garamantis dici poteſt. nam hoc genus ſerpentis ſitim accendens, & eâ perimens hominem, apud Garamantes eſt frequens.

Garamantis item fuit nympha quædam, Garamantis Regis filia, ex qua Iupiter genuit Iărbam (aliàs Hiarbam) Libyæ Regem.

Gaulitis adiect; vt fœmina Gaulitis, ideſt Gaulitana, ſeu Melitenſis. Gaulus enim eſt inſula, Mélitæ proxima (hodie Gozo) Gaulitis ora dici poteſt ipſa inſula Gaulos.

Gebalitis Arábiæ petréæ regio; ita dicta à Gébala, quæ est regio Arabiæ.
vel adiect; vt res, seu fœmina Gebalitis, idest Syra; Gebal enim est Syriæ ciuitas, hodie Gibel.

Genetyllis seu Genetullis epith. Veneris, quæ ita dicitur, quasi genitrix à γεννῶ, idest genero, quia generationi præsidebat.

Genetyllides seu Gennaides etiam dicebantur Deæ omnes genituræ præsidentes, quales erant Iuno, Lucína, seu Tríuia, & Venus.

Gnosis & Gnossis adiect; vt puella Gnosis, idest Ariadna Cretensis, à Gnoso vrbe Cretæ. vel etiam solitariè prolatum Ariadnam significat. lucida Gnosis dicitur Ariadnæ corona in cælo fulgens, stellisque distincta.

Gobolitis (aliàs Gobalítis) dicitur Idumæa, vt perhibet Iosephus; quæ regio est ab occidua parte Iordanis. eadem Amalecítis est appellata; nam Amalecítæ erant Idumeę populi.

Gorgopis dicta fuit palus post Isthmum Corinthi, quę antea dicebatur Eschatiôtis. ita quidem appellata à Gorge, filia Megárei, vxore Corinthi: quæ audita filiorum nece, in hunc se lacum demersit.

Gortynis adiect; vt arundo Gortynis, idest sagitta Cretæa à Gortyna, seu Gortyne, vrbe Cretæ, quæ sagittarum vsu claruit.
Terra Gortynis dicitur ipsa vrbs Gortyn, seu Gortyna; vel Creta ipsa.

Gymnesis adiect; vt terra Gymnésis, idest insulæ Baleáres,

quæ dictæ sunt etiam Gymnésiæ; nam æstate nudi degebant earum populi. γυμνός autem græcè est nudus. vel quia earum populi, vtpote fundibularij, velites erant, idest leuis armaturæ milites. γυμνητία enim dicitur græcè leuis armatura.

H

Hadranítis (rectiùs enim scribitur cum aspiratione) v. Adranitis.

Halcyonis vel Halcyonítis } vt dies, seu tempestas (hoc est tempus) vel æstas Halcyonis, idest Halcyonum. v. Halcyónidæ.

Halcyonides dicuntur septem filiæ Halcyónei gigantis, quæ post patris interitum, in mare se præcipitantes, ab Amphitríte in aues Halcyones mutatæ sunt. earũ nomina erant Phthónia, Anthe, Methóne, Alcippa, Paléne, Drimo, Astéria.

Hæmonis adiect; vt Laodamía Haémonis, saga Hæmonis, idest Théssala: nam Thessalia dicta est Hæmónia ab Haémone Deucaliónis, seu Pelasgi filio.

Halesis nympha Halési fluminis propè Ætnaam. vel adiect; vt terra, seu mulier Halesis, idest Halesína ciuitas, seu fœmina. rupes Halesis, idest mons Halesius non longè ab Aetna, vbi Prosérpina flores legebat cum socijs.

Haliartis adiect; vt terra Haliartis, idest Haliartus vrbs Bœótiæ supra Thespiensium fines.

Haliéis v. Tirynthis.

Hebronis adiect; vt ora Hebrónis, ideſt regio Iudææ, in qua continetur Hébron (ónis) vrbs; & turris Ader, ideſt gregis: quo in loco olim paſtores Angelorum voces de Chriſto nato audierunt.

Hecateis adiect; vt herba Hecateis, ideſt aconítum venenatum, ab Hécate Medéæ matre primùm inuentum, quo Hecate Pérſeum patrem ſuum perémit. verùm alijs Medéa Hecates ſacrifica dicitur, non filia.

Helchitis ſiue Helcítis } Suſanna Helchíæ, ſeu melius Helcíæ filia, vxor Ióachim, Danielis iudicio liberata.

Heliconis adiect; vt Heliconis Hippocréne, ideſt fons caballinus, Muſis ſacer: ita dictus à monte Helicóne, vbi ſcatebat.

Heliconides dici poſſunt ipſæ Muſæ ab eodem Helicone, Phócidis monte non procul à Parnaſſo, Apollini, & Muſis ſacer. v. Heliconiades.

Hellenis adiect; vt mulier Hellénis, ideſt Græca; nam Græcia dicta eſt etiam Hellas ab Helléne Deucaliónis, filio. Hellas etiam appellata eſt vrbs Theſſáliæ, condita ab altero Helléne, Phthij filio.

Hellenides vrbes, ideſt Græcánicæ, dicuntur quædam Sicíliæ vrbes, vt Meſsána, Tauromenium, Naxus, Cátana, Leontíni, à Græcis conditæ, præſertim verò Chalcidenſibus.

Helleſpontis adiect; vt vnda Helleſpontis, ideſt Helleſpontus, qui eſt fretum dirimens Aſiam ab Europa.

Heracleotis vel Heracleotis } adiect; ideſt fœmina, ſeu res Heracléæ vrbis, ſiue ſit illa Thráciæ, ſiue Sicíliæ, ſiue

ne Itáliæ,&c.nam ad viginti tres hoc nomine recensentur. potest quidem tertia breuiari soluta diphthongo, & extrito iota.

Herois adiect; vt mulier heróis, idest insignis, & clarior, vel quæ est vxor, seu filia viri herois. Epistolæ herói-des, quales illæ Ouidij, quæ scilicet scribuntur à fœminis illustribus: ἥρως enim est semideus, vel ad Diuos proximèaccedens; & deducitur ab ἥρα, idest Iuno, quasi Iunonis filius, seu filia. Heróis etiam dicebatur festum nouennale, Delphis celebrari solitum.

Hesperides quæuis filia Hésperi, fratris Atlantis, quæ tres fuisse dicuntur, Ægle, Arethûsa, *Hesperethúsa*, quas in Hispánia hortos auriferos habuisse fabulantur poëtæ. duarum nomina aliter ab Apollonio proferuntur, nimirum Ægle, Erythéis, & Héspera.

Hesperides etiam dicuntur decem insulæ *A*tlántici maris: ita dictæ ab Hëspero Atlantis fratre. eædem dicuntur Cassitérides, siue Catliterides, quòd inde plumbum, stannumque effoditur, quod græcè dicitur κασσίτερος.

Hessénis v. *Essenis*.

Hestiotis siue Hestiæotis } adiect; vt ora *Hestiotis*, idest Hestiæa, Thessaliæ pars, Olympo, atque Ossæ montibus cõtermina; ita fortasse dicta ab Histiaeo, siue Hestiæo quodam, Græco homine. v. Istiotis.

Hiantis. v. Hyantis.

Hierichuntis adiect; vt ora Hierichuntis, idest Hiérichus, seu *Hiericho* Palæstinæ vrbs in tribu *Béniamin*. palma Hierichuntis, idest Caryótæ, palmarum species, quas Hiericho fert eximias.

Hilissis v. Ilissis.

Hime-

Himerides dici possunt filiæ Stesichori, poëtæ Himerensis (fuit Himera vrbs Siciliæ) quæ itidem poëtriæ lyricæ extitêre, vt pater.

Hippocrenis adiect; vt aqua Hippocrenis, idest ex Hippocrêne fonte Musis sacro.

Hippolaitis Mineruæ epith. ab Híppola vrbe deleta, vbi eius sacellum fuit.

Hippothoitis dicitur tribus vna ex quatuor, quæ erant in Arcádia, apud Tegeátas; ita dicta ab Hippothoo Cercyonis filio.

Hippothoontis tribus quædam in Attica nomen habens ab Hippothoonte.

Hippuris insula quædam maris Carpathij circa Cretam, & vna Spóradū propè Therā. ita dicta quasi cauda equi.

Histiæótis v. *H*estiotis, & Istiæotis.

Homeris Arsíphone, siue Arséphone Homéri filia; Stásini historici vxor.

Homerides adiect; vt Musæ *H*omerides, idest poësis *Ho*meri poëtæ heroici, & heroicorum principis inter *G*ræcos.

Homolois adiect; vt porta *H*omolóis, idest vnā è septem portis *T*hebarum (à quibus Thebana ciuitas dicta est *H*eptápylos) sic appellata, quòd Thebanorum pars postliminio reuocata, ex *H*ómole monte reuertens per hanc portam intrauit.

Homolois etiam appellatur per appositum Minerua apud Lycóphronem; fortasse quia filia Iouis, qui *H*omoloius dicebatur apud Thebanos, & alios. quod nomen illi factum ab *H*omolóia eius vate, seu prophetide.

*H*omo-

Homoloides dicuntur Thebæ iuxta *Hómolen*, montem Thessáliæ, sitæ: qui mons Centaurorum sedes fuit.

Husitis regio *Hus*, vbi natus est Iob. v. Ausitis.

Hyacinthides dicuntur Pandóra, & Protogenía, Eríchthei Atheniensium Regis filiæ: quæ ingruente Bœotio bello, se pro patriæ salute vltrò immolandas præbuerunt. ita dictæ, quòd id factum fuit in pago *Hyacintho*.

Hyantis dicitur Bœótia: Bœóti enim *Hyantes* dicebantur, siue *Hyanthéi* ab *Hyante* eorum possessore. Rupes, seu specus *Hyantis*, dicitur Parnassus mons Phocidis: sub Parnasso enim habitarunt *Hyantes* populi. *Hyantis* aqua, vel vnda dicitur fons Parnassi montis: vel secundùm alios fons Caballínus.

Hybleis adiect; vt apis, seu volucris *Hybleis*, ita dicta ab *Hybla* Sicíliæ monte: vnde mel hyblæum celebratum apud auctores.

Hyccaris dici potest Lais (idis) meretrix illa celeberrima, quæ *Hyccaro*, siue *Hyccara* Siciliæ oppido (hodie Caríni) rapta, & Corinthum delata, omnes ætatis suæ pellices corporis forma anteiuit.

Hylleis adiect; vt ora, seu terra *Hylleis*, idest *Hylle*, siue *Hyllis* Illyrici, siue Illyrij regio: ita dicta ab *Hyllo* Herculis, & Mélites nymphæ Náiadis filio. tota item Phæácia dici potest *Hylléis*: apud Corcyram enim, seu Phæáciam Mélita genuit *Hyllum*. *Apollon. Rhod.* lib. 4.

Hyllis adiect; vt libra, seu lex *Hyllis*, idest Dórica lex, seu iustitia; *Hyllus* enim fuit vir inter Dorienses clarissimus, & dux eorum, qui circùm Italiam habitarunt,

runt, & his legibus iussit *Hiero* Rex vti Gelòos, Megarenses, & Syracusanos, vtpote Doriensium colonos in Sicilia. Pind. ode 1. Pythior.

Hyllis etiam est tribus in Dóride, alia in *Argólide*: alia in *Trœzénia*.

Hymettis adiect; vt apis, vel ales *Hymettis*, ab Hymetto Atticæ monte apibus frequentato. v. Hymettias.

Hypereis fons Thessaliæ in vrbe *Pheris*, qui etiam dicitur *Hypería* ab *Hyperéte* filio Melæ (Phrixo geniti) & *Euricléæ*, qui proximè fontem hunc morabatur. *Hypería* etiam fons est Meseidos (vt ait Cluuer.) & vrbs quondam Siciliæ, hodie secundùm aliquos Camarína.

Hypseis nympha Cyréne, *Hypsei* Regis Lapitharum filia, ab Apolline rapta, & à *Thessália* in Libyam translata: à qua nomen factum est Cyrene, vrbi quondam Libyæ: vbi illa peperit Apollini *Aristæum*, mellis vsus inuentorem. Pind. ode 9. Pythior.

Hyrcanis adiect; vt fera, vel tigris, vel panthéra Hyrcanis, idest ex Hyrcána silua, quæ Scythiæ subiacet; vbi frequentes sunt illæ feræ. Hyrcanis terra, idest Hyrcánia, regio Asiæ propè Arméniam. Hyrcanis vnda, idest mare Hyrcánum, quod alio nomine Cáspiũ appellatur.



I

Iäonis adiect; pro Iónica, vt Iaonis lingua, mulier, terra, &c. Iäones enim dicuntur Græciæ populi, qui aliàs Iónes appellantur.

Iäpetionis vel Iapetis seu Iäpetis | dici potest Pyrrha Epiméthei filia, & Iápeti neptis. vel Protogenía Deucaliónis, & Pyrrhæ filia, Prométhei neptis, Iapeti proneptis; mater verò Opuntis, à quo Opuntij populi. Pind. in Olymp. ode 9. vel adiect; vt stirps, seu soboles Iapetíonis, idest prosapia Iapeti: seu Protogenía ab Iapeto oriũda.

Iardanis vel Iärdanis | Omphále Regina Lydiæ, ab Hercule adamata: ita dicta à Iárdano, qui est Lydiæ fluuius, Phæas oppidulum præterluens; apud quem fluuium habitauit Omphale.

Iäsis Atalanta virgo Arcádica venatrix, Iasij, siue Iäsi filia, neptis Abantis, Parthenopæi mater, & comes Dianæ: quæ aprum Calydonium interfecit.
ita etiam dici posset Nepéa Iasi filia, Olympi Mysórum Regis vxor: à qua dictus est campus Nepéæ, seu Nepeius iuxta Cyzicum, vbi habitauit prædictus Rex.

Iasonis & Iäsonis | adiect; vt Iasonis Argo, quia Iason Argo nauim ædificari iussit. ita etiam appellari potest eius filia Atalanta, Milaniónis vxor.

Iberis adiect; vt mulier Iberis, idest Hispána: Hispánia enim olim Ibéria dicta est ab Ibéro eius fluuio.

Icaris Penélope, Icarij, & Peribææ Naidis filia, Arnæa

prius appellata. hæc fuit vxor Vlyſſis, & mulier pudiciſſima.

vel Erigone Icarij etiam filia, quæ audita patris morte, à ruſticis temulentis occiſi, laquéo ſe ſuſpendit, & inde in Cælũ translata Zodiaco inſeritur poſt Leonem; & Virgo appellatur.

Icariotis Penelope ſupradicta, Icarij filia.
item adiect; vt tela Icariotis, ideſt tela Penelopes, quæ in prouerbium abijt: quicquid enim illa die texebat, nocte retexebat.

Idalis adiect; vt Venus Idalis, quia Idalus, ſiue Idalion mons Cypri, olim Veneri ſacer fuit.

Idmonis virgo, ideſt Arachne lanifica, Idmonis Colophonij filia, in araneam tandem conuerſa à Minerua.

Iephthis, Iephthæ filia, quam pater Deo immolauit, vt votum ſolueret. v. Iephthias.

Ierichuntis v. Hierichuntis.

Iérnis adiect; vt ora, ſiue inſula Iérnis, ideſt Iérne inſula in vltima plaga occidentali.

Ieſſeis Beata Virgo Dei parens, à Ieſſe Dauídis patre ducens originem.

Iezraëlitis seu Iezrahelitis seu Iezrælitis } adiect; vt Achínoa Iezrahelitis, ideſt ex vrbe Iézrahel. hæc. fuit vxor Dauidis, ex qua ille ſuſcepit Ammon primogenitum.
Item vallis, ſeu terra Iezraëlitis, ideſt Iezraël, ſiue Iezrahel, quæ fuit ciuitas tribus Iudæ.

Iliſſides dicuntur Muſæ ab Iliſſo Atticæ flumiue, Muſis dicato. v. Hiliſſias.

Illyris dicitur ipſum Illyricum, quod eſt regio contra Italiam

Italiam in ora maris Adriatici.
vel adiect; vt fœmina, seu res Illyris, ideſt ex Illyrico, quod ab Illyrio Polyphémi, ſeu Cadmi filio, ita fuit appellatum, hodie Schiauonía.

Imbrăſis dici poteſt Iuno, quam Samij apud Imbraſum fluuium propè Samum, natam ferunt.

Inachis Iõ Inachi fluuij filia, à Ioue in vaccam mutata, & tandem in Iſidem Deam. Ægyptiorum conuerſa.
vel Mycéne nympha, Inachi etiam filia.
vel Níobe Phorónei filia, Inachi neptis: Phoróneus enim Inachi filius fuit.
vel adiect; vt ripa Inachis (ſiue Ináchia) ideſt Inachi, qui eſt fluuius *Achaiæ*, ab Inacho Rege dictus.

Inachides dicuntur Dánai filiæ, puellæ Argiuæ, ab Inacho originem ducentes: erant enim filiæ Danai, qui fuit nepos Beli, cuius auus fuit Inachus. vel omnes Argiuæ fœminæ.

*I*oachimis virgo Deipara, *I*óachim, & Annæ filia.

Iocabethis María ſoror Moſis, filia Amram: cuius vxor fuit *I*ocabétha, ſeu Iocabéla, Mariæ prædictæ mater.

Iólcis adiect; vt terra *I*olcis, ideſt Theſsália: *I*ólcus enim eſt oppidum Magnéſiæ, quæ eſt regiuncula Theſſaliæ; vbi natus eſt *I*aſon. apud nonnullos *I*olchis, & *I*olchus ſcribitur. ſed apud Græcos per cappa effertur.

*I*ólcitis vna ex quatuor tetrarchijs Theſſaliæ, ab *I*olco *T*heſſaliæ vrbe ſic nominata. v. Theſſaliotis.

*I*ónis adiect; vt terra, ſiue ora *I*ónis, ideſt *I*ónia Aſiæ minoris regio, ita dicta ab Ióne Xuthi filio, Helllénis nepote. Iónis lingua, ſeu dialectus, eſt vna ex quinque Græciæ dialectis.

Iōnides, insulæ sunt, sed duæ præsertim dici possunt, idest Samos, & Chios.
vel quatuor nymphæ, apud Eléos templum habentes, quarum nomina sunt Calliphãéa, Synallaxis, Pegæa, & Iãsis: ita dictæ ab Ióne Gargetti filio, qui Athenis cum in locum coloniam deduxit.
vel puellæ Iõnicæ, idest ex Iónia, Asiæ minoris regione inter Cáriam, & Æolidem.

Ipheis v. Niphéis: ita enim est corrigendum carmen Ouidij lib. 2. de remedio Amoris.

Isacis ora, idest Iudæa, ita dicta ab Isaac Abrámi filio. Pater Rogátus in Eleg.

Isauris adiect; vt terra Isauris, idest Isáuria, quæ est minoris Asię regio.

Ismenis adiect; idest queuis fœmina Thebana, ita dicta ab Isméno, fluuio Boeótiæ propè Thebas.
Ita etiam appellari potest Dirce, Lyci Thebarum Regis vxor, quæ in sui nominis fontem conuersa est.
Item Crócale Isméni fluuij filia, & comes Dianę. est etiam adiect; vt laurus Ismenis, ita dicta vel ab Ismeno fluuio Bœotiæ, vel ab Apolline, qui dictus est etiam Ismenius ab Ismeno monte Bœotiæ, vbi colebatur.

Ismenides, nymphæ erant apud Phlyenses populos cultæ: vbi & aras habebant, vtpote dicti fluminus filiæ. Ismenides Musæ dici possunt Musæ Thebanæ, seu Pindáricæ; quia Thebanus fuit Pindarus.

Israëlis vel Israëlitis est regio maioris Asiæ, Samaríæ contermina, quæ Israël etiam dicitur, ab Israël, idest Iacob Patriarcha, qui post luctam cum Angelo, Israël, idest præpotens fuit appellatus. ita etiam dici potest mulier eius regionis, siue Hebræa.

Isti

Istiæotis v. Hestiæotis. *Istiæa* verò, seu *Histiæa* (vrbs Euboica, & altera Thessaliæ) ab *Homéro* corripitur in prima syllaba Iliad. 2.

Χαλκίδα τ' εἰρέτριάν τε, πολυςάφυλόν τ' ἰςίαιαν.

Italis vel Italiotis | adiect: vt res, vel fœmina *Italis*, idest ex Itália. terra, vel ora Italis est ipsa *Italia*.

Ithonis Pallas dicta est ab Ithóne vrbe Bœótiæ in agro Messeniaco, vbi ea colebatur. sed prima syllaba huius vocis producitur ab Apollonio in Argonaut; vbi sic ait

Ἔργον Ἀθηναίης Ἰθωνίδος, ἠδὲ καὶ αὐτοὺς.

Itonis epith. Palladis, ita dictæ ab Itóne, siue Itóno vrbe Thessáliæ, vbi ea eximium templum habebat, sũmoque cultu colebatur. vel ab Itono Amphictyonis filio, qui templum ei in Bœotia condidit.
ita etiã dicitur Chrómia Itoni filia, Endymiónis vxor.



L

Labanis dici potest Rebecca Labáni soror, vxor Isaac. vel Lia Labani filia, vxor Iacob.
Terra Labanis, idest Labána, ciuitas Sacerdotum in tribu Iudæ.

Labdacis adiect; vt cohortes Labdacides, idest Thebanæ, à Lábdaco Thebanorum Rege.

Lacedæmonis Eurydice Lacedæmonis filia, Acrisij vxor, mater Dánaës.

Laconis adiect; vt mulier Laconis, idest Laconiæ regionis. Laconis ora, idest ipsa Laconia, Peloponnési regio.

Ladonis adiect; vt Daphne, seu laurus Ladonis; nam illa Ladonis, Arcadiæ fluuij, filia dicitur fuisse.

Lapidothis Débora prophetissa, Lapidóthi vxor.

Latois & Latónis } Diana, seu Luna, ita dicta à Latona eius matre, quæ græcè dicitur λητώ. eadem dici potest Latóis virgo, seu Latois filia. ita Apollon. Rhod. vel adiect; vt Calauréa Latois: est enim Calaurea insula inter Cretam, & Peloponnesum, Latonæ ab initio dedicata. Latonis terra dicitur Delos insula, in qua Latona Apollinem, & Dianam peperit.

Lechitis adiect; vt ora Lechítis, idest Polónia, ita dicta à Lecho Polonorum cónditore, à quo illi vocantur Lechítæ. fœmina Lechítis; idest Polóna, seu Sármatis: nam olim Polonia Sarmátia dicebatur. v. Lechias in appendice.

Lelegeis adiect; idest Cárica, vt Artemísia Lelegeis: fuit enim

enim Regina Cáriæ, vbi Léleges habitabant. quin & Milétum vrbs, Ióniæ caput, olim est Lelegitis appellata.

Lelegeides nymphæ, idest Cáricæ: Léleges enim populi Cáriæ sunt bellicosissimi.

Lenis dicitur quælibet Baccha: Lenæus enim est Bacchus, ita dictus à ληνὸς, idest tórcular: vinum autem in torculari exprimitur ex vua, & hinc Lénides dicuntur Bacchantes.

Lesbis adiect; vt puella Lesbis, idest Sappho, quæ dicitur Lesbis amica lyræ.

Lésbides dicuntur fœminæ ex insula Lesbo.

Leucippis dicitur Arsínoë Leucippi filia, & secundùm aliquos Æsculapij mater.
vel Calchínia alterius Leucippi proles vnica, que Neptuno Pératum peperit.

Laucippides dicuntur filiæ Leucippi, idest Phœbe, seu Phœba, & Ilaíra, seu Elaíra ex Aphydnis vrbe Lacóniæ; à Castore, & Polluce ereptæ Idæ, & Lynceo, earum marítis.

Laucippides etiam dicuntur virgines, quę Phœbę, & Elaírę sacrabantur; cum hę inter Deas numerarentur.

Leuconis lacus Bœótię, ita fortasse dictus à Leucóne Rege Ponti. v. Copáis.

Leuitis mulier de tribu Leui. vel ipsa tribus Leui.

Libaneis adiect; vt petra, seu rupes Libaneis, idest Líbanus. Musa Libaneis, idest Líbani, Assyrię montis.

Libanitis & Libanotis adiect; à monte Libano, vt cedrus Libanitis, ibi enim frequens est: vel arx Libanitis, idest ipse mons.

Libethrides sunt nymphæ Libéthræ fontis. vel ipsæ nouem Musæ, ita dictæ à Libéthra fonte Magnésiæ, seu Bœótiæ Musis sacro. vel à Libéthro monte Thrácię, vbi antrum erat Musis consecratum.

Liburnides sunt quadraginta insulæ maris Adriátici iuxta Libúrniam. inter quas Issa censetur, & *Pityéa*, seu Pityúsa.

Item adiect; vt nympha Liburnis. vnda Liburnis dici potest mare Liburnum, seu Tyrrhénum.

Libystis adiect; vt vrsa Libystis, idest Libyca. terra Libystis dicitur ipsa Libya, siue *Africa*.

Lychnitis seu Lichnitis. palus maioris Arméniæ, à Lychníto vrbe Illyrici nomen habens. ita etiam dicitur parua regio Arméniæ.

Ligystides seu Ligustides dictæ sunt insulæ inter Ligúriam, & Massíliam à Ligysto Phaëthontis filio. hæ alio nomine dicuntur Stoéchades, idest ordine positæ.

Lilybætis seu Lilybaitis adiect; vt mulier, siue ora Lilybætis, idest Lilybætana: & intelligitur, vel promontorium Siciliæ, Lilybæũ nomine (vulgò *Boéo*) vel ipsa vrbs, hodie Marsála.

Lilybeides seu Lilybaides adiect; vt oræ, seu petræ Lilybeides, idest promontorium prædictum, quod est vnum ex tribus Siciliæ promontorijs. vbi etiam est vrbs eiusdem nominis.

Limnatides, nymphæ palustres, seu stagnorum Deæ apud Græcos. v. Límnades.

Limnatis epith. Dianæ, ita dictæ à Limnis vico inter fines agri Lacónici, & Messeníaci, vbi eius templum erat.

Locris adiect; vt virgo Locris, ideſt nata apud Locros, ſeu Locrenſes, qui ſunt populi Græciæ, Parnaſſum vtrinque accolentes. Locrenſes etiam ſunt Italiæ populi iuxta Zephyrium promontorium. canes Locrides inter eximias memorantur à Cælio Rhodigino.

Loiolis vel Loyólis | adiect; vt domus Loiolis, vnde ortum habuit D. Ignatius Loiola, Societatis Ieſu conditor: quæ & proles, ſeu legio Loiólis, & Loiolæa dici poteſt.

Loiolitis ſeu Loiolæis | adiect; pro Loiolæa, vt Loiolitis ſoboles, ſeu phalanx, ideſt Societas Ieſu, à D. Ignatio Loiola condita.

Lotophagitis adiect; vt Syrtis Lotophagitis, ideſt Syrtis minor; ita dicta, quia Lotóphagis Africæ populis proxima eſt. hi autem populi, loton fructum comedentes inſulam habitabant, quæ Meninx (ingis) ſeu Cercinna dicebatur.

Lycaonis Calliſto, Lycáonis Arcádiæ Regis filia, deinde in aſtrũ conuerſa, quod Arctos dicitur, ſiue Vrſa maior. Lycnítis v. Licnitis.

Lycoatis vel Lycoanitis | epith. Dianæ, quæ templum habuit in vrbe Arcadiæ, cui nomen Lycoa. Pauſan.

Lyrneſſis ſeu Lyrneſis | Hippodamía Briſæ, ſeu Briſei filia, ita dicta à Lyrneſſo oppido Troadis. hęc eadem puella dicta fuit Briséis à patre Briſe; ab Achille quidem adamata, raptáquę ex Lyrneſſo, vbi regnabat Mines (ętis) ſeu Menétes eius vir.

M

Macareis Isse, vel Issa, Lésbia puella, Macárei filia, quā Apollo adamauit.

Macedonis (secunda à Nonno poëta Græco producitur, verso « in ») adiect; vt silua Macédonis, quæ scilicet erat in monte *Piero*: qui est mons Thessáliæ vsque in Macedóniam protensus. Ora *Macédonis* dicitur ipsa Macedonia, Europæ regio latissima.

Macreis adiect; vt ora Macreis, *idest* Eubœa insula, quę olim *Macris* dicebatur. Macreis mulier, idest Eubœensis. Macris etiam dicta est vna Cycladum insula, & alia Rhodij maris.

Madianitis, idest fœmina nata in vrbe Mádian. vel ipsa met vrbs, quæ est trans Arábiam ad meridiem *Iudæę*: ita dicta à Madian Abrahæ filio ex *Cetúra*.

Mæandris Sámia *Mæandri*, Phrygij fluminis, filia, vxor Ancæi, quæ illi peperit *Periláum*, *Enúdum*, Samum, *Alithersen*, & fœminam vnam Parthénopen.
vel Cyánee eiusdem filia, quæ à Milēto vitiata, Caunum, & Biblida genuit.
potest etiam esse adiect; vt vnda Mæandris, idest dicti fluminis.

Mænalis seu Mænalitis adiect; idest fœmina, vel res à Maénalo monte Arcádiæ. sic Diana dicitur Diua Mænalis, vtpote venatrix in eo monte. sumitur etiam hoc nomen pro Carmentide vate, ac Dea *Arcádiæ*. item pro Vrsa maiore, dicta olim Callisto.

Mænalis ora dicitur ipſa Arcadia à Mænalo eius promontorio.

Mæonis Omphále Regina Lydorum, ita dicta à Maeónia, ideſt Lydia regione. hæc ab Hercule adamata cum induxit ad trahenda lanæ penſa.

ita etiam dici poteſt quælibet mulier ex Lydia, cuius vrbs regia Sardes (ium) fuit appellata.

Virgo Mȩonis dici poteſt *A*rachne, quæ fuit puella Lyda, & in araneam tandem conuerſa.

Mȩonides etiam dicuntur Muſȩ à Maeonia, quȩ etiam dicitur Lydia, vbi nymphȩ *M*uſarum nomine appellabantur. vel ab Homéro, qui Mȩonides appellatur; tanquam ſi diceres Homerides: vti à Theócrito Siculo *M*uſȩ dictæ ſunt Sicelides: licèt aliter alij ſentiant.

Mȩotis dicitur palus Scythica in regione ſeptentrionali iuxta Phaſidis oſtium, hieme congelaſcens: ita dicta ab accolis, qui Mæótȩ appellantur.

poteſt etiam eſſe adiect; vt ora *M*æotis, ideſt Scythia, ſeu Thrácia. ara Mȩotis dicebatur ara Dianȩ, quȩ erat in Táurica regione Thraciæ, vbi homines mactabantur. Ouidius tamen propter vocalem ſequentem, primam corripuit lib.3. Triſt. eleg. 12.

Longior antiquis viſa Mȩotis hiems.

Mæótis dicta eſt Pentheſiléa *A*mázonum vexillífera, & turmarum ductrix; à Mȩotis Scythiȩ populis: Amazones enim Scythiam incolebant.

Magdalis dicitur Diua Maria Magdalena à Caſtello Magdálo, ſeu Magdólo ſuȩ ditionis.

Magneſis | adiect; vt equa, ſeu mulier Magnetis, ideſt
vel
Magnetis | è Magnéſia, Macédoniæ regione.

Argo *Magnetis* dicitur prima nauis, quasi diceretur Thessálica: Magnesia enim regio est annexa Thessaliæ, vbi illa nauis fuit ædificata.
item Pégasa *Magnetis*; nam Pegasa est vrbs Thessaliæ, iuxta quam ædificata fuit Argo nauis. vel quia Pégasę sunt extrema pars Magnesiæ, vt ait Apollonij Scholiastes.

Magnetis porta dicebatur vna ex illis, quæ Ephesi in vrbe extabant.
Equæ Magnetides, idest Thessalicæ, dicuntur à *Pindaro* fuisse illæ, cum quibus Centaurus vir, Ixíonis, & Népheles filius concubuit: ex quibus nati sunt Hippocentauri. *Ode* 2. Pythior.

Mahometis adiect; vt superstitio, secta, lex Mahometis, idest quam Mahométes, *Turcarum imperator*, docuit.

Maleotis | adiect; vt ora, siue arx Maleotis, idest Máleа promontorium Lacóniæ, ita dictum à vel Máleo *Argiuorum* Rege, qui in eo templum Maleotis magnificum construxit. Málea autem, & *M*alêa dici potest, scribitur enim græcè μαλέα, & μάλεια.

Mantois adiect; vt cera, vel ora Mantóis, idest *Mantuana*. Mantoides Musæ, idest Virgiliana poësis: fuit enim Virgilius poëta Mantuanus. Mantua verò nomen habet à Manto (quam Diodórus Daphnen appellat) Tirésiæ vatis Thebani filia, & fatidica fœmina.

Marathonis adiect; vt quercus Marathonis, à Marathóne Atticæ monte, vbi Icarus Rex est occisus. pugna, seu victoria Marathonis dici potest illa, quam Meltiades de Xerxis exercitu reportauit in agro Marathoníaco.

Mareotis lacus in Ægypto, Alexandríam à meridie alluens: ita dictus à Maréa fonte, & vrbe iuxta prædi-

ctam Alexandriam. Terra *Mareotis* dici potest Ægyptus. *Mareotis* etiam appellatur pars illa Libyæ inter Cyrenáicam regionem, & Ægyptum, quæ à Ptolemæo *Marmárica* dicitur. Secunda syllaba corripitur in hoc patronymico, soluta diphthongo, & extrito iota.

Mareotides vuæ, dicuntur vuæ Epiróticæ, & optimæ, quales ille Mareotidis, quæ itidem est pars *Epíri*. vel, vt alij volunt, sunt vuæ Alexandrinæ; nam *Mareoticum* vinum Athenæus Alexandrinum appellat, & valdè laudat.

Maronis adiect; vt vua *Maronis*, idest à *Maronéa* Cíconum vrbe in Thrácia, præstantissimo vino laudata: & nomen habuisse creditur à *Maróne* quodam, vno ex ijs, qui cum Baccho militarunt.

Maronitis adiect; vt mulier, seu res Maronitis, idest Maronéae vrbis in *Thrácia*.

Marsionis adiect; vt palus *Marsionis*, idest *Mársica*: est enim apud *Marsos*, Italiæ populos, & *Phorce* (es) appellatur nomine proprio.

Massagetis adiect; vt mulier, vel ora *Massagetis*, idest Scythica. *Masságetæ* enim sunt populi Scythici in Asia vltra mare Cáspium trans Araxem.

Mauris adiect; vt terra Mauris, id est Mauritania, ita dicta à Mauris populis, Mauritániam Africæ regionem incolentibus.

Maurusis adiect; vt terra Maurusis, idest Mauritánia: *Mauritani* enim græcè Maurusij dicuntur. citrus *Maurusis*, quia hæc arbor in Atlante Mauritaniæ monte est frequens.

Mechanitis, id est machinatrix dicta est Venus: homines

nes enim eius causa quoduis artium,& fraudum genus tam in factis, quàm in dictis excogitarunt.

Medeis adiect; vt herbæ Medeides, ideſt venenatæ, quibus ſcilicet Medéa vtebatur.

Medis adiect; vt mulier Medis, ideſt ex Média Aſiæ regione. Medis arbor, ſeu Medica eſt malus Citrea, quia è Media primùm allata eſt. Medis ora ipſa Media, ita dicta à Medo Medéæ filio.

Megareis Euechme Megárei filia.
vel mulier quæuis è Mégara, ſeu Megaride Græciæ vrbe: ſicut & tota regio ab vrbe prædicta Megaris appellatur.

Melænis | dicta eſt Venus in Arcádia, & Bœótia, ideſt
ſeu
Melánis | nigella; vt quæ tenebris gaudeat.

Melanthis adiect; vt terra Melanthis, ideſt Attica, fortaſſe à Melantho, qui Athenarum Rex fuit.

Meleagris Althæa Meléagri mater, Theſtij filia. Meleagrides verò ſunt Oénei Calydóniæ Regis, & Althææ filiæ, ſorores autem Meleagri.

Meleagrides dicuntur etiam gallinæ Indicæ; quia Meleagri ſorores, mortuo fratre, ob doloris impatientiam in has aues conuerſæ ſunt. Penélope etiam dicitur genus hoc gallinarum, à quibus nomen habuit vxor Vlyſſis: nam illæ aues eam nutriuerunt, cum eſſet in mare proiecta, & expoſita in quadam pelui, ſiue arcula.

Meleatis adiect; vt ora, ſeu rupes Meleatis, ideſt Mélea Lacóniæ promontorium.

Melis dicitur palus propè vrbem Méliam in Thessáliâ. *M*elis terra, seu *M*elia terra, est coloris cinericij, quæ in *M*elo Cycladum insula reperitur.

Melitis porta, seu *M*elitides portæ in Attica fuerunt. cuius origo nominis haud innotescit. nisi fortè sit à nympha *M*élia.

Melissis v. *M*elissias.

Meliteis adiect; vt ora, seu fœmina *M*eliteis, idest Melitensis. est autem Mélite insula, Siciliæ adiacens, Ogygia etiam dicta, siue Calypsûs insula, vt ait Cluuer.

Memnonides dicuntur aues, quæ ex Mémnonis pyra, dum ille cremaretur, euolarunt; & quotannis ex Æthiópia in agrum *I*líacum aduolare dicuntur, *M*emnonisque sepulcrum ter lustrare, vt nimirum sui Regis anniuersarium funus celebrent: erant enim *M*emnonis socij, qui doloris vi in has aues conuersi sunt.

Memphitis adiect; vt terra *M*emphitis, idest Ægyptus à *M*emphi præcipua eius vrbe.
vel mulier *M*emphitis, tela *M*emphitis, &c. Vacca Memphitis dicitur *I*ö in vaccam mutata, quæ Isidis nomine apud *Æ*gyptios colebatur.

Menais dicitur fons, seu lacus Siciliæ sulphureus in agro Leontinorũ, propè Menas vrbẽ, quæ vulgò dicitur Menéo. per hunc autem fontem eius loci ciues iurare valdè timebant: Palícis enim Dijs sacer erat; vnde dictus est Palicínus fons, hodie Naftía.

Menelais Hermíone *M*enelái filia, Orestis vxor, pro qua Pyrrhus ab Oreste occisus est.
vel Hèlena *M*enelai vxor à Théseo primum, deinde à Paride rapta ob venustatem.

vel adiect; vt platanus Menelais; quæ ſcilicet à Menelao Rege in Arcadia (dum illac iter faceret) ſata fuit.

Menelaïs etiam dicitur fons quidam propè hanc platanũ apud Caphyas, *Arcadiæ* oppidum.

Menelaïs vrbs dici poteſt Sparta, vbi regnauit Menelaus Agamémnonis frater, Helenæ coniux.

Menelaides dicuntur canes à Menelao earum domino, ſicuti Caſtorides à Caſtore. Cæl. Rhodig.

Meneteis dicitur Apollonio Rhodio Antianíra, quæ peperit *M*ercurio Erytum, & *E*chíonem, homines fraudum gnaros. ita dicta, quia fortaſsè Méneti, ſeu Menétei filia.

Menitis ſeu Mœnitis } adiect; vt nympha, vel vnda Menitis, ideſt *M*eni Germániæ fluuij. ita etiam dici poteſt fœmina quæuis Germána.

Meraris (vel prima ſyllaba ob neceſſitatem producta) Iúditha (alijs Iudítha) filia Mérari, & vxor Manaſſis, quæ tandem vidua Holofernem Chaldæorum ducem obtruncauit.

Meropeis Cos inſula Spóradum, olim *M*erops dicta à quodam Mérope Rege, cuius filia Cos nominabatur. vel quia Méropes eam habitarunt. hîc natus eſt Hippócrates *M*edicorum celeberrimus, & Philétas poëta *E*legiógraphus: vnde Cous dicitur.

Meſſanis adiect; vt mulier, ſeu res Meſſanis, ideſt è Meſſana, Siciliæ vrbe nobiliſſima.

Meſſeis ſeu Meſeis } fons Lacóniæ propè *M*eſſam, vrbem eius loci. Plinio verò eſt Theſſáliæ fons, qui etiam dicitur *H*ypería.

Meſſenis adiect; vt mulier, ſeu res quælibet Meſſenis à Meſsé-

Messéna Græciæ vrbe in Peloponneso. vndæ Messenides, ideſt ſinus Meſſeníacus, ea ſcilicet maris pars, quæ Meſséniam alluit.

Metagonitis dicitur Numídia (hodie Barbaría) à promontorio Metagonio, quod Africam à Numidia diuidit.

Mideatis adiect; vt Alcména Mideatis, quia nata eſt in vrbe Argorum Mídea.

Migonitis dicitur Venus, quaſi coniugalis. vel quia templum ei dicatum eſt ab Alexandro in quadam Laconiæ regione, quæ Migonium appellatur.

Miletis Byblis (idis) Miléti filia ex Cyánea nympha (alijs ex Tragáſia) ſoror Cauni, quem deperibat; & ob eius fugam dolore ſaucia, in fontem ſui nominis mutata.

Miletis adiect; vt vrbs Miletis, ideſt Iſtrópolis, vrbs Thráciæ, à Mileſijs condita.
vel Tomos vrbs Ponti, vbi exulauit Ouidius, à Mileſijs condita.

Miletis lana, ſeu Miléſia, ideſt ex Mileto vrbe Iōniæ, vbi lanæ præſtantiſſimæ erant.

Mimallonis mulier Baccha, à Mimállone monte; vel à Mimante, Aſiæ minoris, ſeu Thráciæ monte, vbi quotannis ſacra fiebant Baccho.

Mineis Alcíthöe Mínei Thebani filia, quæ vnà cum ſororibus iu Veſpertilionem mutata eſt. quare Mineis dici poteſt ipſa auis. v. Mineïas.

Minois, ſeu virgo Minois dicitur Ariadna, Minòis Cretæ Regis filia; à Théſeo rapta.
vel Phædra eiuſdem filia, vxor Théſei, quæ Hippóly-

suum priuignum, quem deperibat, apud patrem accusauit vt adulterum. *M*inois terra dicitur Creta, vbi Minos regnauit. Minois Minerua, idest culta apud Cretenses.

Minoides insulæ sunt, eædem quæ Cyclades. Minos enim Cretensis cum Cares populos expulisset, maris imperium, illarumq; insularum obtinuit. Scholiastes Apoll. Rhod.

Minyeis adiect; vt nympha Minyeis, idest Thessala; ita dicta à *M*inya Thessáliæ vrbe. sic appellatur ab Apollonio Clymene *I*ásonis auia materna: fuit enim mater Alcimedes, ex qua natus est Iason. erat autem Clymene filia Minyæ, à quo Minya vrbs nomen habuit. v. *M*inyas, & Minyatis.

Minyatis | adiect; vt fœmina, seu res Minyatis, id est seu ex Minya Thessaliæ vrbe. Minyatis, vel Minyeis | nyeis nauis, seu pinus, dici potest Argo, prima nauis, in Thessalia ædificata, quæ *M*inyas populos, Iásonis comites, in Colchos aduexit.

Mnemosynis quælibet Musa, ita dicta à Mnemosyne earũ matre. Mnemonides (plur. numero, & per syncopen) aliqui censent appellari posse Musas: & hoc substituunt nomen pro *M*æonides in versu Ouid. Metamorph. lib. 5. quibus non ausim refragari.

Moabitis (vel prima ob necessitatem correpta) est regio propè Iudæam, ita dicta à Moab, qui fuit filius Lot. est etiam nomen gentile mulieris, nomine Ruth, quæ fuit primùm vxor Máhalon; deinde verò Booz, cui peperit Obed.

Moabitides dicuntur mulieres filiæ *M*oab, cum quibus fornicatus est Israël, dum morabatur in Settim.

Mœnítis v. *M*enítis.

*M*olos-

Molossis (quæ etiam *Molóssia* dicitur) regio est Epíri, à *Molosso* Pyrrhi, & Andrómaches filio nominata; quæ postea Chaónia dicta fuit ab Héleno de nomine Cháonis fratris sui, à se imprudenter in venatione occisi.

Molottides canes putabantur eximiæ indolis (quarum filij *Molossi* dicuntur) vtpote orti à cane illo æneo Vulcani, quem ille Ioui dono dedit: cuius natura hæc erat, vt vitari non posset, si quando is aliquem insequi cœpisset.

Moluris adiect; vt petra Moluris, idest saxum illud in *Attica*, vnde Ino cum Melicerta filio se in mare præcipitauit. ita fortasse dictum, quòd esset in formã cuspidis mutilatæ. id enim inter cætera significata est græcè μολυρὶς.

Mycalessis seu Mycalésis nomen gentile, idest mulier ex Mycale vrbe, seu castello Cáriæ. vel è Mycalesso vrbe Bœótiæ, vbi Ceres templum habuit, & inde cognominata est Mycaléssia, seu *Mycalessis*: de qua fama erat, quod si fructus omnes Autumno collecti ante eius pedes depositi fuissent, toto anno integri manerent.

Mycalessides seu Mycalésides adiect; vt nymphæ Mycalessides, idest Sámiæ: ita dictæ à Mycaléso monte Sami, quem alij *Mycalen* vocant.

Mycenis adiect; vt Iphigenía Mycenis, idest ex vrbe Mycenarum, *Agamémnonis*, & Clytæmnestræ filia.

Mygdonis quælibet filia *Mygdonis*, Thráciæ Regis.

Mygdonides dicuntur mulieres Phrygiæ, seu Macédones: nam Mygdónia est regio Phrygiæ, & altera in

Macedónia vergens ad Thráciam.

Mysis adiect; vt terra *Mysis*, ideſt Myſia, ita dicta à Myſis populis minoris Aſiæ, qui eam habitauere. Apoll. Rhodius lib. 2. à quo etiam abſolutè profertur *Myſis* pro ipſa Myſia. hîc Hercules relictus fuit ab Argonautis, dum Hylan puerum dilectum quæritaret.

N

Naides dicuntur nymphæ fluminum, ſeu fontium. v. *Naias*

Naucelis adiect; vt nymphæ Naucelides, ideſt Nauceli fluminis, ſeu fontis in Italia, ni fallor.

Nauprestides dictæ ſunt tres filiæ Laomedontis, ac Priami ſorores, ideſt Æthylla, Aſtyoche, & Medeſicaſte, quia in Nauæthum Italiæ fluuium (hodie Neéto) appulſæ, naues incenderunt: ita dictæ à voce græca ναῦς, ideſt nauis, & πρήθω ideſt incendo. quanquàm alijs tres iſtæ fœminæ Phœnodamantis, non Laomedontis fuiſſe filiæ dicuntur.

Neitis (ſeu Neíta) dicta fuit vna è ſeptem portis Thebarum in Bœótia; ſic appellata, quòd Amphíon ante hanc portam, netèn chordam acuſiſonam dicitur inueniſſe, quam tetrachordo addidit vnà cum duabus alijs à ſe inuentis. vel quia Zethus Amphíonis frater Neis (idis) etiam vocabatur: & ab eo nomen portæ datum. v. Oncais.

Neleis Pero Nélei filia, vxor Biantis Argiui, qui fuit *Amythaonis* filius; alius à Biante Prienæo. Neléis etiam

tiam dicebatur apud Milesios Diana, fortasse à Nelei filijs, qui ibi dominabantur.

Neocomitis adiect; vt ora Neocomitis, idest nouum Comum Italiæ oppidum. mulier Neocomitis, idest Neocomensis, seu ex nouo Como.

Neoptolemis seu Neoptolemeis adiect; vt vltio, seu pœna Neoptolemis (quæ etiam dicitur Neoptoleméa) idest talio, seu pœna taliónis: cum scilicet, quo quis supplicio alium affecit, eo ipse ab alio afficitur. ita Neoptolemus, seu Pyrrhus Achillis filius, cum Priamum ad aram Iouis Hercéi iugulasset, ipse postea ad Apollinis Delphici aram fuit ab Oreste interemptus.

Nepheleis Helle filia Athamantis, & Népheles, ac soror Phrixi; à qua in mare submersa Hellespontus fuit cognominatus.

Neptunides nymphæ marinæ, Neptuni filiæ, inter quas fuit Orthósia, Cymopoléa, &c.
vel adiect; vt vndæ Neptunides, ideft fluctus maris.

Nereis & Nereis Thetis (idis) filia Nérei, & Doridis, vxor Pélei Regis Thessáliæ, Achillis mater. secunda syllaba produci potest apud poëtas; nam formatur à genitiuo græco νηρέος, & Ionicè νηρῆος.
vel quælibet nympha Nérei filia, siue sit Galatéa, siue alia. v. Nereides.
Item adiect; vt Helle Néreis, quia facta est nympha marina post demersionem.

Nereides sunt quinquaginta nymphæ marinæ, Nérei, & Doridis filiæ, quarum nomina ex Hesiodo illa sunt: Actæa, Agáue, Amphitríte, Autónoë, Cymatolége,

Cymo, Cymódoce, Cymóthoë, Doris, Doto, Dynámene, Eiőne, Erato, Euágore, vel Euagora, Euarne, Eúcrate, Eudóra, Eulímene, Euníce, Eupompe, Galatéa, Galéne, Glauce, Glaucónome, Halimédе, Hippónoë, Hippóthoë, Laomedía, Liágore, seu Liagora, Lysianassa, Mélite, seu Mélita, Menippe, Nemerte, Nesæa, Neso, Pânope, Pasíthea, Pherûsa, Polynome, seu Pulynome, Pontoporía, seu Pontoporéa, Prónoë, Proto, Proto altera, Protomedía, Psámathe, Sao, Spio, Thalía, Themisto, Thetis.

Nesonis seu Nessónis } palus non procul à Larissa in Thessália: ita dicta fortasse ab vrbe Thessaliæ, cui nomen Nesson (ônis) cuius gentile fœmininum est Nessonitis.

Nestoris dicitur Nestoris filia, vel neptis. Nestoris ora, seu terra dici potest Pylus, agri Messeníaci oppidum, Nestoris patria, qui inde Pylius senex dictus est.

Nestis adiect; vt terra Nestis, idest Illyricum (vulgò Schiauonía) Nestis enim est vrbs, & fluuius Illyridis circa montes Ceraunios; cuius populi Nestæi dicuntur

Nilis Argíope dici potest (alijs Agríope) quæ fuit Nili fluminis filia, Agénoris vxor, Cadmi mater.
vel Achíroë eiusdem filia, mater Ægypti, & Dánai.

Nilis adiect; vt vnda, seu nympha Nilis, idest Nili Ægypti fluminis.

Nilis etiam appellatur lacus inferioris Mauritániæ non procul ab Océano, quem Nili aquæ stagnantes efficere creduntur.

Nilotis adiect; vt tunica, vel terra Nilotis, idest Ægyptia, à Nilo Ægypti flumine.

Miscis

Niſeis vel Niſis } Scylla Niſi filia in monſtrum marinum ſecundùm aliquos conuerſa: quare ipſemet ſcopulus in freto Siculo Italiam versùs (hodie lo Sciglio) Niſeis dici poteſt. verùm hæc fuit altera Scylla filia Phorci, nam illa filia Niſi, Regis Megarenſium, in Cirim auem (Italicè Allodola, ò Lódola) conuerſa fuit. ſicut etiã Niſus pater in auem ſui nominis, quam aliqui Haliaéetum, ſeu Haliætum vocant, *Italicè* Smeriglio: & eſt ex accipitrum genere, qui ſemper Cirin inſequitur.

Niſeides v. Nyſeides.

Nyčteis Antiope Nyčtei Thebanorum Regis filia, Lyci neptis ex fratre (erat enim *Lycus* Nyčtei frater) & ab Epópeo Sicyóniæ Rege rapta: mater verò Zethi, & Amphíonis, poſtquàm à Ioue ſub Satyri forma compreſſa fuit. quanquàm alij Asópi fluminis filiã faciunt. poteſt etiam ita appellari Nyčtímene, Nyčtei eiuſdẽ filia, quæ cum patre concubuit, ac propterea mutata in Noctuam, *Italicè* Ciuetta, Siculis verò Cucca. quæ auis Nyčtéis etiam poſſet appellari.

Nyčteides etiam appellantur ipſæ noctuæ.

Nyſeides ſeu Nyſeides } dicuntur Bacchi nutrices, à Nyſa Citherónis vertice, quem incolebant, ita nominatæ: quarum nomina fuerunt Ambróſia, Corónis, Eudóra, Phéſula, Dióne, & Polyxo.

Oaxis



Oaxis seu Oeaxis } adiect; vt tellus Oaxis, ideſt Cándia, ita dicta ab Oaxe fluuio Cretæ. Oaxis item eſt regiuncula, alijs vrbs Cretæ alta, & montoſa, à fluuio nomen habens. Oeaxis vſurpatur ab Apollonio Rhodio, qui græcè ſcipſit οἰαξὶς lib. 1. Argon.

Oceanitis vel Oceanis } adiect; vt Néreis Oceanitis: fuit enim quælibet Nérei filia, Océani neptis. Phílyre Oceanis, quia Oceani filia, Chirónis mater. item Chryſe Oceanitis dicitur: eſt enim inſula Oceani, auri ferax. Oceanides auræ dicuntur Pindaro venti, qui inſulas fortunatas, in Oceano exiſtentes, perflant.

Oceanitides vocantur nymphæ omnes aquarum, quæ Oceani dicuntur fuiſſe filiæ, & fluminum matres.

Oceanitides item ſunt Océani, & Tethyos filiæ, quæ pluſquàm quadraginta numerantur ab Heſiodo (quamuis idem addat ter mille eas fuiſſe, ducentas Virgilius) videlicet Acaſte, Admēte, Amphiro, Aſia, Callirhoë, Calypſo, Cercéis, Clymene, Clytia, ſeu Clytie, Críſia, Dióne, Doris, Electra, Eudóra, Európa, Eurynome, Galaxaure, Hippo, Iänîra, Iänthe, Idyia, Melóboſis, Meneſtho, Metis, Ocyrhoë, Pasíthoë, Perséis, Petræa, Pitho, Plexaure, Pluto, Polydôra, Prymno, Rhódia, Styx, Teleſtho, Thoë, Tyche, Vránia, ſeu Vranie, Xanthe, Xeuxo. quibus addi poteſt Phílyra mater Chirónis Centauri, & Clio, & Béroë, & Mérope, quæ Phaëthontis mater dicitur Hygíno

gino . item Mopsópia Oceani filia, à qua Mopsopij dicti sunt Athenienses: licèt secundùm alios à *Mopso* Rege. est & Camarîna Oceani filia, vnde nomen factum Camarínæ vrbi in Sicilia, & lacui eiusdem nominis. insuper *Pléione* Oceani filia, & Pleiadum mater, vt ait Scholiastes Apollonij lib. 3.

Oebălĭs Hélena, Cástoris, & *Pollûcis* soror ab Oebália Lacóniæ regione, in qua nata esse fertur: Oebalia autem ab Oébalo Lacónum Rege fuit appellata. item adiect; vt purpura *Oebalis*, idest Lacónica. mulier Oebalis, idest Lacæna, quia Lacónia dicitur Oebália. potest etiam ita appellari Piréne, quam Oébali filiã fuisse perhibent: quamuis alij Achelói filiam faciunt.

Oechălĭs quælibet mulier Oechálica, idest ex Oechália vrbe Bœótiæ.

Oēnēĭs Deianîra Oénei Ætóliæ Regis filia, quam Hercules Acheléo desponsatam rapuit, & vxorem duxit. vel Gorge Oénei etiam filia, Andraémonis vxor. vel *Periméda* Oenei quoque filia, mater Európes, & Astypalęæ.

Oēnōtrĭs adiect; vt res, seu fœmina Oenótris, idest Itala: Itália enim olim dicta est Oenótria ab Oenótro ibi regnante.

Oēnōtrĭdĕs dictæ sunt duæ insulæ contra Véliam Lucániæ oppidum in Italia, Fóntia scilicet, & *Ischia*: sic appellatæ ab Oenotrijs, siue Oenótris Italiæ populis è *Græcia* huc primùm appulsis.

Oēstrūmnĭdĕs vel Oestrymnides insulæ sunt plumbi, & stanni metállo diuites in mari Atlantico: quæ etiam dicuntur Cassiterides.

Oeteis adiect; vt nympha, vel rupes Oetéis, ideſt ex monte Oeta, qui eſt inter Theſsáliam, & Macedóniã, clarus morte, & ſepulcro Herculis.

Oligætis erat pars tribus Corínthiæ, ab Oligætide quodam antiquo nomen habens.

Ogygis adiect; vt ora, ſeu terra Ogygis, ideſt Thebæ Boeótiæ, quæ etiam Ogygiæ dicuntur ab Ogygo primo earum Rege.

Oncais, ſiue Oncæa, dicta fuit vna è ſeptem portis Thebarum (vti ſcribit Apollodórus, & Euphórion) quã Pausánias Neitidem appellat: ita forſan appellata à Mineruæ templo illi proximo. quæ quidem Minerua Onca (alijs Onga) dicebatur apud Thebas, vbi locus ei ſacer erat, eodem nomine Onca dictus: ὀγκὴ autem græcè eſt amplitudo.

Ophthalmitis epith. Mineruæ, cui templum Lycurgus dedicarat, vt alterum ſibi oculum ſeruaret; iam enim alterum amiſerat, erutum ab Alexandro, cui leges à Lycurgo latæ non placebant. ὀφθαλμὸς autem græcè eſt oculus.

Oreſtis eſt terræ tractus, qui inter Macedónicum ſinum, & Adriáticum ſalum intériacet: ita dictus, ab Oreſte, Oreſtis, & Hermíones filio, qui in Æmáthia natus eſt, ibique regnauit.

Oretis adiect; vt nympha Oretis, vel vnda Oretis, ideſt Oréti fluminis apud Panormum, principem Siciliæ vrbem. Oretis terra, ſiue ora, dici poteſt Panormus ipſa. Oretides Muſæ, ideſt Panormitanæ. v. Oretias.

Ormenis Aſtydamía Ormeni Regis filia, quam Hercules occiſo patre rapuit.

Orontis

Orontis Myrrha puella ab Oronte fluuio Cœlesyriæ ita dicta: ipsa enim iram patris fugiens in Arábiam secessit, vbi in arbusculam sui nominis mutata fuit. quare & ipsa Myrrhæ arbuscula Orontis, siue Orontéa dici solet. v. Cynaréis. Orontis aqua dici potest ipse fluuius, non procul à Líbano monte nascens. item Orontis myrtus, nam frequens est apud hunc fluuium.

P

Pactolis adiect; vt nympha, siue vnda Pactólis, idest Pactóli fluminis Lydiæ.

Pæonis Euippe vxor Píeri, & mater nouem puellarum, quæ cum Musis concertarunt: ita dicta, quia in Pæónia nata erat.

Pæonides dicuntur eædem filiæ prædictæ Píeri, & Euippes ob eandem rationem, qua earum mater.

Pagaseis adiect; vt ora Pagaseis, idest Págasa oppidum Thessáliæ, iuxta quod ædificata fuit Argo nauis: vnde & ipsa nauis dicta est Pagaseis.

Pallantis Aurora Tithóni coniux, seu amasia, Pallantis filia. v. Pallantias.

Pallatides adiect; vt petræ Pallatides in Iphéo, siue Creo Argorum monte, vbi Palladis effigies reposita fuit.

Pallenis adiect; vt vnda Pallenis, idest Thracij maris: ita dicta à Palléne, Thráciæ, siue Macedóniæ vrbe. Pallenis dicta est Minerua, quia fanum in dicta vrbe habuit: vrbi verò nomen dedit Palléna Síthônes filia.

eadem vrbs olim Phlegra dicebatur. quanquàm alijs Phlegræ vicina dicitur fuisse Pallene: vbi pugna gigãtum fuit cum Ioue gesta: quæ idcirco Pallenis pugna dici posset.

Palmitis adiect; vt vmbra, seu nympha palmitis, idest palmæ arboris.

Pamphylis adiect; vt terra Pamphylis, idest Pamphylia minoris Asiæ regio. mulier Pamphylis, idest eius regionis. est item tribus Lacedaémone; ita dicta à Pamphylo Herculis filio. Scholiast. Pindari ode 1. Pythior.

Panachæis adiect; vt terra Panachæis, idest Græcia, præsertim verò Thessalia: Achæi enim (qui & Hellénes, & Myrmídones dicuntur) propriè sunt, qui Phthiótin regionem habitant, vbi est Thessalia. quæ quidem olim Achæa dicebatur ab Achæo filio Xuthi.

Panachæides dicũtur fœminę Théssalę apud Apoll. Rhod.

Pandarides duæ filiæ Pándari Milesij, quarum nomina erant Camíro, & Clytie: quæ etiamnum virgines parentibus orbatæ, à Iunone prudentia, & formositate, à Diana corporis proceritate donatæ sunt, à Venere autem educatæ.

Pandionis Progne, seu Procne, & Philoméla, Pandíonis Regis Athenarum filiæ.
vel Tribus quædam Athenis, à Pandíone maiore forsan appellata.

Pannonis adiect; vt terra, vel ora Pannonis, idest Pannónia; latissima Europæ regio iuxta Germániam.

Panopeis adiect; vt vox Panopeis, idest Pánopes, seu Panopéæ, quæ fuit nympha marina; Doridis, & Nérei filia.

Panormitis adiect; vt mulier Panormitis, idest Panormitana

mitana, ſeu Panorméa. ora Panormitis, ideſt Panormus, Siciliæ vrbs cognomento felix, Italicè Palermo.

Paphis adiect, vt mulier, vel terra Paphis, ideſt Páphia. eſt autem Paphus vrbs Cypri, in qua Veneri templum erexit Agapénor, Arcadum Rex: quare eadem Venus dicitur Paphia, ſeu Paphis.

Papyritis ſeu Papyris adiect; vt vnda, ſeu lympha Papyritis, ideſt Papyríti, ſeu Papyréti fontis, qui intra Panormum effluit. Papyritides, ſeu Papyrides, nymphæ dicti fontis appellari poſſunt. v. Papyriades. de hoc fonte vulgaris fama eſt eius aquas vſq; à Nilo deriuari. quod arguitur & ab eius nomine (papyrus enim herba eſt apud Nilum maximè prouueniens) & à Crocodílo olim inuento in his aquis. ad id alluſit Venetianus, poëta Siculus, patriâ Monsregalenſis, ſic fontem de ſe loquentem inducens.

Me Nilus genuit, nomen fecere papyri.

Parnaſſis ſeu Parnaſis adiect; vt Aſcra Parnaſſis: Aſcra enim fuit vicus Bœótiæ in dextra Helicónis parte, patria Heſiodi. laurus Parnaſſis, ideſt Parnaſſia, quia lauris abundat Parnaſſus.

Parnaſſides, ſeu Parnaſſiades dicuntur Muſæ, quia in Parnaſſo Phócidis monte habitabant.

Parrhaſis dicitur Arctos, ſiue Vrſa maior, ſeu Hélice, olim Calliſto, filia Lycáonis Arcádiæ Regis, quæ in Vrſam à Iunone mutata fuit: ita dicta à Parrháſia vrbe Arcadiæ. Parrhaſia autem cognominata fuit Arcadia à Párrhaſo, vno ex Lycáonis prædicti filijs.

Parrhaſides ſtellæ dicuntur geminæ Vrſæ Cæleſtes, ideſt maior, nomine Arctos, & minor nomine Cynoſura, quia iacet ad canis caudam.

Patareis

Patareis adiect; vt rupes Patareis, ideſt promontorium Patareum in Lycia: ità dictum à Pátara vrbe maritima.

Pegasides dicuntur *Muſæ* à Pégaſo equo alato, cuius fons (qui Caballínus dicitur) *Muſis* ſacer fuit.

vel nympha quælibet fontium, ita dicta a fonte Caballíno, quem Pégaſi vngula in Helicône Phócidis monte elicuit.

Ita etiam appellatur Oenóne nympha Nais, quam Cebréno fluuio natam aiunt.

Pelaſgis adiect; vt Sappho Pelaſgis, ideſt *Græca*: fuit enim lyrica poëtria Lésbia.

Eſt etiam epith. Céreris, quia templum habuit, quod illi dedicauit Pelaſgus, Tríopæ filius.

Pelaſgiotis | adiect; vt Theſsália Pelaſgiotis: vel terra, ſeu | ſiue ora Pelaſgis, ideſt Theſſalia: ea enim Pelaſgis | antea dicebatur Peláſgia. Pelaſgiotis autem propriè erat vna ex quatuor *Theſſaliæ* partibus, ita dicta à Pelaſgo *N*eptuni, & Lariſſæ filio. pubes Pelaſgis, ideſt Théſſala iuuentus.

Peleis adiect; & ita appellari poteſt poëma de Péleo Theſſaliæ Rege, Achillis patre, quale eſt illud Catulli.

Pellanis dicitur fons Pellánæ vrbis in Lacónia, ſubintelligitur enim κρήνη, quod græcè eſt fons: & ideò apud Græcos fontium nomina fœminina ſunt.

Pelopeis adiect: vt terra Pelopeis, ideſt Peloponnéſus, regio Græciæ, quæ à Pélope nomen accepit; hodie la Moréa. vnda Pelopeis, ideſt mare ambiens hanc peninſulam: quod eſt Ægæum, & Ionium.

Pelopeides dicuntur mulieres huius regionis Græciæ.

Peloris adiect; vt concha, ſiue óſtrea Peloris (nam oſtreæ

Pelorides, seu Pelorínæ celeberrimæ sunt) vnda Peloris, &c. ita dicta à Pelóro, quod est Siciliæ promontorium propè Messánam. *Arx*, siue rupes Peloris dicitur ipsum promontorium Pelorus. aliquando tamen Peloris, seu Pelorias absolutè profertur, & Pelorus intelligitur. v. Pelorias.

Peneis adiect; vt nympha Penéis, idest Daphne filia Penéi fluminis Thessáliæ, ab Apolline adamata, & in laurum tandem conuersa. dicitur etiam silua, seu laurus Peneis, vnda Peneis, &c.

vel Menippa Penéi filia, vxor Pelasgi, ex qua natus est Phrastor (oris) Amyntoris pater.

vel Cyréne *Penèi* etiam filia, & mater Aristæi, qui in Arcadia regnauit, & mellis vsum primus dicitur inuenisse: vnde mellis Deus est habitus.

Pentelis adiect; vt cautes, seu rupes Péntelis, idest marmor (qui lapis Pentélicus dici solet, seu Pentelesius, aut Pentellesius) valdè laudatum, aptumque ad signa, seu statuas effingendas. ità dictum à Péntele vico in Antiochide tribu, vbi effodiebatur.

Permessis adiect; vt vnda, seu laurus Permessis: Permessus enim est fluuius *Bœótiæ*, qui abundat lauris, Musisque sacer est. Permessidos vndam vocat Martialis venam poëticam: *Permessus* enim declinatur etiam Permessis, idis.

Perrhæbis dicitur Dia, cui Iupiter equina forma se coniunxit. à qua Diæ vrbi Thessaliæ nomen datũ.

vel quæuis alia mulier Théssala Perrhaébiam incolens regionem, quæ est in Aetóliæ montanis: vbi est Pindus mons, Musis sacer.

Perseis Hécate mulier, veneficiorum peritissima, filia Persæ (qui Solis filius fuit) Æétæ vxor, & Medéæ

mater

mater: quæ aconitum herbam inuénit, quo patrem extinxit. alijs tamen dicitur fuisse Circes mater, Pérsei verò, & Astériæ filia, quæ vti dea apud Colchos colebatur templo satis magnifico.
vel Gorgóphone Persei filia, Perièris vxor, mater Leucippi, Icarij, & Aphárei.

Persis adiect; vt mulier, seu res Persis, ideſt ex Pérsia: imò ipsa Persiæ regio, Persis appellatur. Persis gaza dicuntur opes, & diuitiæ Pérsicæ, quæ maximæ olim fuêre.

Phaëthontis quælibet ex sororibus Phaëthontis. v. Phaëthontias.
vel adiect; vt lux Phaëthontis, ideſt Solaris. Phaëthontis gemma dicitur súccinum, siue electrum: ab alnis enim defluere fabulantur, in quas arbores mutatæ fuerunt Phaëthontis sorores.

Phæacis adiect; vt mulier Phæacis, ideſt eſt Phæácia. Phæacis insula eſt ipsa Phæacia, quæ etiam dicitur Corcyra, Ionij maris insula (hodie Corfù) vbi Alcínous regnauit. ita dicta à Phæáce, Neptuni, & Corcyræ filio. Phæacides mulieres peritissimæ fuerunt in velis nauigiorum contexendis: sicuti Phæaces ipsi in arte nautica excellentissimi.

Phanuelis Anna filia Phánuël, quæ vidua Salomonis templo diù ministrans, vaticinio donata, Virgini Deiparæ multa prædixit.

Pharsalis adiect; vt mulier Pharsális, ideſt nata apud Pharsálon vrbem Thessáliæ. Pharsalis pugna dici poteſt illa, quæ inter Cæsarem, & Pompeium; vel inter Augustum, & Brutum, atque Cassium geſta eſt in campis Pharsálicis.

Pha-

Phasaëlis vrbs Iudææ, ab Heróde primo Iudææ Rege, nomine fratris sui, condita: gentile masc. Phasaëlita, fœm. Phasaëlitis.

Phaselis vrbs *Pamphyliæ*, à Phasélo forsitan homine sic appellata. cuius nomina patria, seu gentilia sunt Phaselíta, & Phaselítis. dicitur autem prouerbio, Phaselitarum sacrificium, idest vile, & sordidum: pisciculos enim salsos Dijs sacrificare solebant.

Phasis Medéa, ita dicta à *Phaside*, Colchorum fluuio, vel etiam oppido.

Phegis vel Phegêis } *Alphesibœa* Phégei filia, vxor *Alcmaéonis*, soror Témeni, & Axíonis.

Pheneatis adiect; vt ora, seu fœmina Pheneatis, idest ex Phéneo vrbe Arcádiæ, quam Phéneus condidit: vbi nascitur herba moly, à Mercurio primùm inuenta, præsens contra omnia veneficia remedium: quare & ipsa dici potest Pheneatis herba. hac olim à Mercurio accepta se defendit Vlysses à Circes veneficijs, cum eius socios in sues illa conuerteret.

Philyreis insula iuxta Pontum, vbi Phílyra nympha, Oceani filia, à Saturno sub equi forma compressa fuit: cui deinde Chirónem Centaurum peperit in arduis Thessalorum montibus.

Philyretis seu Philyris } gentile fœm; idest mulier ex dicta insula iuxta Pontum, cuius populi *Phílyres* appellantur à Phílyra Saturni vxore. Philyris autem potest producere primam, vti Philyrides.

Phlegethontis adiect; idest infernalis, vt larua, vel Enyo Phlegethōtis. Dea Phlegethontis dicitur Prosérpina.

vnda, ſeu lympha Phlegethontis, ideſt aqua vnius inferorum fluuij, qui *Phlégethon* (ideſt comburens) dicitur.

Phlegyantis *Bœótiæ* regio (quæ olim Andréis) ita dicta à Phlégya, qui ibi regnauit. *Phlegyas* autem format genitiuum *Phlegyæ* penitroſyllabis verò, Phlegyantis.

Phlegyeis dicta eſt Corónis (idis) Phlegyæ filia, Æſculapij mater, quæ Apollini eum peperit in *Epidauri* campis.

*Ph*liuntis epith; quod Hebæ Iunónis filiæ, & iuuentutis Deæ apponi poteſt: in vrbe enim Phliunte ea religioſiſſimè colebatur. Phliuntis terra dicitur ipſa Phliûs, quæ vrbs eſt in medio Sicyonij, Argiuique agri.

Phocais adiect; vt Phocais baliſta, ideſt Cretenſis: Phocæ enim ſunt inſulæ, Cretæ adiacentes.

Phocais etiam titulus eſt poëmatis ab Homero ſcripti de Phocæa, ſeu Phocenſibus; quod Theſtorides pro ſuo venditabat.

Phocis regio Græciæ duplex, à duplici Phoco dicta. celebrior eſt quæ Heliconem, & Parnaſſum montes, ac Délphicum oraculum continebat.

Phœnicis adiect; vt Phœnicides veſtes, ideſt è Phœnícia, quaſi dicas punícææ, ſeu purpureæ: ibi enim optima purpura.

Phorcinis ſeu Phorcynis } dicitur Medûſa Phorci, ſeu Phorcíni, aut Phorcynis, Mauritániæ Regis filia: cuius capillos aureos in angues mutauit Minerua. illam autem aſpicientes in lapidem vertebantur: quã Pérſeus tandem obtruncauit.

vel adiect; vt Hippocréne Phorcynis, ideſt *Meduſæa*:

ex Medusæ enim sanguine natus est Pégasus, cuius vngula fontem hunc elicuit.

Phorcynides dici possunt tres filiæ Phorci, seu Phorcynis, idest Medusa, Sthénio, & Euryale, quæ Górgones dicebantur.

Phorcis & Phorcys | Medusa cuius pater dictus est græcè Phorcys (yos) seu Phorcyn (ynis) latinè verò Phorcus; mater autem fuit Cetus, seu monstrum quoddam marinum.

Phorcis itidem dicitur Scylla filia Phorci, seu Phorcynis; & Hécates, seu Cratæidis nymphæ, mutata in monstrum marinum in freto Messánæ: cuius ex inguinibus canes existunt, assiduè latrantes. Phorcynis eadem dici posset, cum Phorcyn ab Apollonio appelletur eius pater.

Phorcides seu Phórcydes | dicuntur tres Phorci filiæ, idest Euryale Sthenio, Medusa: quæ etiam Górgones appellantur, idest truculentæ: γοργότης enim est truculentia.

Ita etiam appellantur tres aliæ sorores; Phorci, seu Phorcyos filiæ, quæ communi nomine, Grçæ, idest vetulæ dicebantur (anus enim natas fuisse fingunt) quarum nomina sunt Memphéde, Enyo, Dino. hæ vnicum habebant oculum, ac dentem, quibus vicissim vtebantur: & earũ ope Pérseus ad Gorgonas peruénit.

Phoronis Iō, vel Isis. Inachi fluminis filia, & Phorónei soror.

vel Níobe (non illa quidem Thebarum Regina) Phoronei filia, ex qua Iupiter genuit Apim (qui postea Osíris, & Sérapis dictus est) & Pelasgum; qui Pelásgiæ

giæ regioni nomen dedit.
vel Chthónia Phorónei filia. Phoróneus autem fuit vetustissimus Argiuorum Rex.
Ita etiam inscribitur opus quoddam Hellaníci Lesbij.
vel adiect; vt aquæ, seu venæ Phoronides, idest Inachi fluminis aquæ: Inachus autem Phoronei Regis pater fingitur. Phoronides nymphæ, seu puellæ dici possunt Argiuæ fœminæ.

Phriconis seu Phriconitis } adiect; vt Cuma Phricónis, idest Æólica; Phricónes enim populi, qui & Aéoles dicuntur, eam habitabant: vnde & Phriconitis etiam appellatur. Gens, seu turba Phriconitis dicuntur ipsi populi Phricones, siue Æoles, qui Smyrnam, vrbem Æólicam condiderunt anno duodeuicesimo postquàm ad Cumam appulerant. condita verò fuit ad mare propè Melétem fluuium, iuxta quem natus est Homérus, annis ante Christũ circiter mille. in prædictam verò Smyrnam Cumani colonias deduxerunt. Eadem verò Cuma, Phricõtis, à quibusdam appellatur.

Phrygéides v. Brygeides.

Phthiotis dicitur pars vna Thessáliæ (in quatuor enim diuisa fuit) à Phthio, Neptuni, & Larissæ filio.

Phyláceis adiect; vt mulier, seu mater Phylacéis, idest ex Phylace oppido Thessaliæ, vbi Protesiláus regnauit, & Laodamía eius vxor. ibi nata est Alcímede mater Iásonis, vxor Aésonis, soror Iphicli. Pherecydes autem dicit ipsam Alcimeden Phylaci fuisse filiam.

Phylactris, seu rupes Phylactris dicebatur collis Arcádię, sub quo Arcades fœminæ subsederunt in insidijs contra Lacedæmónios. ita dictus, quasi præsidiarius.

Phyl-

Phylleis adiect; vt mulier *Phylleis*, ideſt nata apud Phyllum Theſſaliæ oppidum. ripa, ſiue vnda *Phylleis*, ideſt Phyllidis Bithyniæ fluuij. & hoc ſecundo vtitur Apoll. Rhod. *Eſt* etiam Phyllis Thráciæ regio, apud Pangæum montem.

Pierides dicũtur nouẽ Muſæ à Píero monte Theſſaliæ in Macedoniam protenſo, eiſque ſacro: ibi enim natæ dicuntur: vel, vt alij volunt, in Piéria regione *Ma*cedóniæ, ex Ioue, & Mnemóſyne. illarum nomina ſunt Callíope (Muſarum Regina) ſeu Calliopéa, *Euter*pe, *T*erpsíchore, *M*elpómene, *E*rato, Clio, Thalía, *P*olymnia, ſeu Polyhymnia, Vránia, ſiue Vranie. quæ omnes continentur hoc diſticho:

Calliope, *E*uterpeq; *T*halia, *P*olymnia, Clio,
Melpomeneque, *E*rato, Terpſichore, Vránia.

verùm initio tres fuêre, vt Aloëi filij ſanxerunt, nẽpẽ *M*élete, *M*neme, & Aœde, ideſt *M*editatio, Memoria, Cantio.

Pierides etiam poſſent appellari nouem filiæ *Píeri*, & Euippes in picas conuerſæ, quòd Muſas ad cantum prouocantes, ab ijs ſuperatæ fuerunt: quarum nomen Muſæ poſtea veluti trophæum vſurparunt.

Pimpleides vel Pimplides dicuntur Muſæ à Pimpla Thráciæ monte: vel à fonte *P*impléo ad radicem eius mõtis. quanquàm ſecundùm alios, Pimpleus fons eſt, ſeu vicus Piériæ, Thraciæ montis: qui fons dicitur etiam Pimplias.

vel adiect; vt ſpecula, ſeu rupes Pimpleis; ideſt mons prædictus in Thracia, iuxta quem peperit Callíope Orpheum *O*éagri Thracenſis filium.

Pireis, ſeu Piræis, adiect; vt ora Pireis, ideſt *A*thenæ: Piræus enim, ſeu Piraéeus fuit portus Athenarum, 400. capax nauium.

Piretis adiect; vt mulier, seu res Piretis, idest vel Corinthia, vel Atheniensis: *Piraéeus* enim & Athenarum, & Corinthiæ regionis portus erat.

Pirenis adiect; vt vnda, vel aqua Pirenis, idest cuiusdam fontis, qui dicitur Piréne ad radicem Acrocorinthi, quæ est Corinthi arx: cuius aquæ non copiosę quidem erant, sed perspicuæ, potuque suauissimæ. quare & ipsa Corinthus, siue Ephyre dicetur Pirenis per appositum. Pirene autem fuit nympha, quæ propter obitum Cénchriæ filij assiduè lacrymans, in hunc fontem tandem conuersa fuit, Musis sacrum.

Pisatis adiect; vt ólea Pisatis, idest *Olympíaca*: nam Pisa locus est Elidi proximus, vbi *Olympia* certamina agebantur. Pindar. in *Olymp.*

Pisidatis adiect; vt ripa Pisidatis, ita dicta à Pisa vrbe in Elide iuxta Alphéum fluuium; & intelligitur ripa dicti fluminis.

Pittheis seu Pitheis } Æthra filia Pítthei, seu Píthei, vxor Aégei, mater Thései, quæ inter veterrimas mulieres censetur.

Platæis seu Platais } adiect; vt terra Platæis, idest Platæa *Bœótiæ* vrbs, cuius populi Platæenses dicuntur,

Platanitis, nympha platani arboris. vel adiect; vt vmbra platanitis, &c.

Platonis adiect; vt Musa Platonis, idest Philosophi Platonis ars poëtica. Platonis secta, lingua &c.

Ploides, idest natatiles dicuntur aues illæ Arcádiæ, Stymphalides etiam appellatæ, & ab Hercule abactæ, quia

quia in Stympháło Arcadiæ lacu natare solebant.

Plutonis adiect; vt Plutonides furiæ, siue vmbræ, idest Eumenides, quas Orpheus Plutonis, & Prosérpinæ filias fuisse scripsit: licèt aliter alij.

Poliatis epith. Mineruæ, apud Tegeátas Arcádiæ populos maximo cultu habitæ; & ita dicitur, quasi ciuica. Pausan. in Arcadicis. v. Polias.

Porphyris dicta est Cithéra, insula contra Cretam, ab ingenti purpurarum captura: vnde *V*enus appellatur Cytheréa.

Potachis dicitur vna ex octo, seu nouem curijs, quæ apud Tegeatas florebant in *A*rcadia. ita dicta à quodam Pótacho, vnde ortum habuit.

Potamides seu Potameides. (vel prima ob necessitatem producta) dicũtur nymphæ fluminum: ποταμὸς enim græcè est fluuius. hoc secundo patronymico vtitur Apoll. Rhodius lib. 3. primum autem affertur à Delrío in commentario tragœdiarum Senecæ.

Priameis seu Priamis Cassandra Priami, Troianorum Regis, filia fatidica, sed minimè credita: quam illi pœnam irrogarat Apollo, cum ei fidem violasset. vel Ilíone inter *P*riami filias natu maxima, Polymnéstoris Thráciæ Regis vxor.

vel Creûsa, *P*riami, & Hécubæ filia, Ænéæ coniux.

vel Polyxena eiusdem filia, & à Pyrrho Achillis filio ad tumulum ipsius Achillis mactata: nam ante mortem illi fuerat desponsa.

Priapis regio Lampsacéna, vbi vrbs est Priapus: ita dicta à Priápo, *B*acchi, & Veneris filio, qui Lampsacenus fuit.

vel adiect; vt libido, seu lasciuia Priapis, idest Priapéa, qualis nimirum erat illa Priapi, qui salacissimus fuisse dicitur.

Prœtis quæuis filia Prœti Regis Argiuorum, & Sthenobœę, siue Antíopę: quarum singulæ insania laborabant. earum nomina sunt Mæra, Euryale, Lysippe, & Iphianassa: quarũ postremam Melampus, postquàm omnes helleboro curauit, vxorem duxit.

Proetis etiam dicitur vna è septem portis Thebarum, à Prœto homine indígena. singularum verò nomina erant illa, videlicet Porta Electris, siue Electra, Prœtis, Neítis, Crenæa, Hypsiste, Ogygia, Homolóis: ita Pausan. in Bœóticis. Apollodórus autem easdem enumerat cum aliquo discrimine. sunt enim apud ipsum plur. numero, Homoloides, Ogygiæ, Prœtides, Oncaides, Hypsistę, Electræ, Crénides. & Ogygiæ quidem ab Ogygo Rege Thebaidis: Hypsistæ verò à fano Iouis Hypsisti, idest altissimi; quod ei portę proximum erat. reliquas vide suis quasque locis.

Prometheis herba, seu radix dici potest, quę in Cáucaso nascebatur, ex sanie distillante ab hépate Prométhei, vt ait Appollonius Rhodius. ex qua pharmacum Prométhéum confecerat Medéa: quo qui vngeretur, neque ferri, neque ignis vi lędi poterat, eoque Iásonem donauit. v. Titánis.

Prometheis etiam dici potest Thebe nympha, Prométhei filia (vt ait Pausánię interpres) vnde nomen fecêre Thebis Bœóticis Zethus, & Amphíon fratres: quamuis alij Asópi filiam Theben fuisse scribunt.

Propœtides dicuntur puellę Cypriæ, Amathuntę filię, vel ex Amathunte vrbe, Venerem Deam esse negantes:

tes: quæ primò prostituêre corpora sua in triuio; nouissimè verò in saxa transmutatę fuerunt ab irata Venere. ita dictę quia fortasse earum pater Propœtus appellabatur.

Ptolemais est nomen multarum vrbium, quæ à Ptolemæo Rege Ægypti nomen acceperunt: inter quas est Barce, aridæ Libyæ metropolis.

Ptolemæis | seu Ptolemais | Cleópatra Ægypti Regina, Ptolomæi Auletæ filia; soror, & vxor Ptolemæi vltimi.

Item adiect. vt Ptolemæis gaza, idest Ægyptia: plures enim Ptolemæi fuerunt Ægypti Reges.

Pyrenis adiect. vt Corinthus Pyrenis, ita dicta à Pyrene muliere in fontem conuersa. v. Pirenis.

Pyrsanides sunt nymphæ flammarum, seu ignium: πυρσὸς enim græcè est fax, seu flamma. apud Cæl. Rhodig.

Q

Quiritis epith. Iunonis, ita dictæ, quia vtebatur hasta, quæ apud Sabinos quiris dicebatur. vel quia apud Cures Sabinorum oppidum colebatur.

Ita etiam dici posset mulier quæuis Romana; nam Romani propter Sabinorum connubia, & societatem Quirites sunt appellati.

R

Rhamnusis, Némesis, Océani, & Tethyos filia, Dea aduersus superbos inexorabilis, & præses vindictæ, seu iustitiæ vltricis: quæ Rhamnuntis in Oppido Atticæ colebatur: vnde etiam dicta est Rhamnúsia: sicuti & ab Adrasto eius cultore dicta est Adrastéa. Alij volunt eam esse Deam Fortunam: sed ab istis seorsùm sentio.

Solet etiam esse epítheton Hélenæ, quam Iouis, & Nemesis filiam faciunt ex ouo, à Nemesi Rhamnusia genito: quod postea Leda inuentum fouit.

Rhyndacis adiect; vt res, seu mulier Rhyndacis, idest Rhyndacensis. Est autem Rhyndacus vrbs, seu locus inter Phrygiam, & Hellespontum. alijs autem est fluuius Phrygiæ, qui nunc Megistus appellatur: quare Rhyndacis vnda dici potest prædictus fluuius. Apoll. Rhod. lib. 1.

S

Sacis adiect; vt mulier Sacis, terra Sacis, idest Scythica; Sacæ enim sunt Scythiæ populi, omnesque Scythæ à Persis vocantur Sacæ.

Sagaritis adiect; vt nympha Sagaritis, idest filia Ságari, seu Ságaris fluuij, per Phrygiam labentis. hanc Atys violauit, fregitque fidem, Cybele datam: ideoque furore correptus se castrauit. ex ea autem suscepit

Atys Lydum, qui Lydiæ; & Tyrrhénum, qui Tyrrhéniæ nomen dedit. v. Sángaris.

Sais vel Saitis | altera Minerua orta è Nilo, quam Ægyptij Saítæ colunt: est enim Sais vrbs Ægypti iuxta vnum è Nili ostijs.

Salaminis adiect; vt ora Salaminis, idest Sálamin insula in sinu Sarónico propè Peloponnésum. vel, vt alij scribunt, in Euboíco mari contra Athenas sita; vbi regnauit Télamon, pater Aiácis, & Teucri.

Salernitis adiect; vt ora, seu mulier Salernítis; idest Salernum Italiæ vrbs, vel mulier ibi nata.

Salmacis adiect; vt aqua Salmacis, idest aqua fontis iuxta Halicarnassum, quam qui biberet, aut in ea lauaretur, impudicitiæ vitio mollescebat. ita dicta à nympha Salmacide, quæ huic fonti præsidebat.

Salmonis Tyro, seu Tyros (alij Tyrrho) puella Théssala, Salmónei filia, ex qua Neptunus Néleum (Nestoris patrem) & Péliam Aésonis fratrem suscepit. vel adiect; vt rupes Salmónis, idest promontorium Salmonium in Creta insula. Salmon autem est vrbs maritima Cretæ.

Samaris adiect; vt ora Samaris, idest Samarîa vrbs Syriæ, media inter Iudæam, & Galilæam. prima syllaba in obliquis ob necessitatem produci potest.

Samaritis adiect; vt mulier Samaritis; terra, vel ora Samaritis; idest vel Samarîa vrbs, vel mulier Samaritana. Samarítis Sichem, seu Síchima dicitur, quia Sichem fuit metropolis Samaríæ,

Sandalides dicuntur palmæ quædam, sandalio similes Plin.

Sandaliotis denominata est Sardínia insula, quòd san-

dalij, seu soleæ effigiem præfert. v. Sárdinis.

Sangaris seu Sangaritis | Sangarij Asiæ fluminis filia: verum enim fluuij nomen est Sangarius, seu Sángarus: per syncopen autem dicitur etiam Ságarus. v. Sagarítis.

Saraides mulieres Hebrææ, à Sara Abrahámi vxore ita cognominatæ.

Sardinis vel Sardois | res, vel mulier à Sardínia insula; ita dicta à Sardo Macéridis, seu melius Herculis filio, qui Hercules Ægyptius cognominabatur. antea verò appellata fuit Ichnûsa, quòd formam haberet humani vestigij: ἴχνιον enim est vestigium. Sardóis ora dici potest ipsa Sardinia. Sardois herba, siue Sardóa est, quæ tandiu hominem ridentem facit, dum pereat: vnde risus Sardonius, idest noxius, seu fictus.

Sarmatis adiect; idest fœmina, vel res è Sarmátia Asiática, quæ regio est in superiore Asiæ parte Bóream versùs, circa Mæotidem paludem, & Scythiæ peruicina: cuius populi ab Amazonibus fuerunt oriundi. quare ipsa Amazon Sármatis dici potest. Sarmatis etiam appellari posset res, vel fœmina è Sarmatia Europæa, cuius partem occupat nunc Polónia: antiqui enim Poloniæ populi Sármatæ fuerunt.

Saronis epith. Dianæ, quæ templum habuit in Æthiopia, à Sarône ibi regnante sibi dicatum.

Sarônis etiam dicitur palus quædã iuxta hoc templum, in qua demersus obijt Saron prædictus. hæc arboribus siluestribus redimita fuit: & ex oleastro, arbore huius paludis excídit Hercules clauam suam, quam absolutis laboribus Mercurio dicauit. quare & eadem claua per appositum Saronis posset appellari. Sarónides etiam dicuntur Græcis quercus hiantes, & fissæ: immò & omnes arbores cauæ. Saro-

Saronis adiect; vt vnda Saronis, ideſt Corinthíaca: ſinus enim Saronicus appellatur, *Orientalis Iſthmi* pars maritima: ita dicta à Sarone Deo quodā marino.

Sarpedonis, ſeu Sarpedónia petra, locus eſt poſt Metapontum, ſeu mare nigrum, prope Ergínum Thraciæ fluuium: quò *Bóreas* aſportauit *Orithyiam*, raptam ex agro Cecropio propè Iliſſum flumen.

Satyrides (vel prima ob neceſſitatem producta) inſulæ in extremis *Oceani* oris à Satyris habitatæ: qui erant homines rufi, hiſpidi, & caudis præditi.

Saülis Michor (oris) Saûlis Iſraëlitarum Regis filia, Dauídi vxor data ob inſignem eius victoriam de Góliath reportatam.

Sauromatis quælibet Amázonum, ita dicta à σαυρὸς, ideſt lacerta, & ὄμμα ideſt oculus; quia lacertæ oculis, & carne veſcebantur. vel quia propè Sármatas habitabant, vltimos vltra Pontum populos, qui Sauromatæ etiam appellantur.

Scamandris *Callírrhoë*, ſeu Callíroë *Scamandri* filia, vxor Trois Regis, mater Ili, Aſsáraci, & *Ganymédis*.

Scenitis epith. Arabiæ deſertæ, cuius populi Scenítæ cognominati ſunt à ſcenis, ſeu tentorijs, in quibus habitabant.

Schæcheis dicitur poëma, quod Hieronymus Vida Epiſcopus ſcripſit de calculis luſorijs, ſeu de latrunculis (*Italicè* ſcacchi) ita dictum, vt ipſemet fabulatur, à nympha Schácchide, quæ ludum hunc ab *Ioue* olim edocta, *Italis* illum tradidit. veriùs tamen à Palamede Græco inuentus dicitur, dum in Aulide Græcorum claſſis detinebatur.

Schinis v. *Schœnis*.

Schœ-

Schœneïs & Schœnis } Atalanta, siue Atalantis (idis) Bœótica; quæ Schœneïa virgo solet etiam appellari: quia fuit filia Schoénei, Regis in Scyro insula, currendi celeritate insignis; ab Hippómene tandem superata ternis aurei mali iactibus: quæ mala Hippomenes à Venere acceperat. verùm post nuptias hæc in leænam, ille in leonem conuersus est ob neglectam Cybeles religionem.

Schœnis etiam nonnullis dicitur Venus, quia scilla; seu squilla, græcè χοῖνος (vt illi aiunt) herba est, cuius esus, seu litura libidinem accendit. sed mendosè scriptum censeo, cum potius Schinis deberet Venus appellari: χῖνος enim per simplex iota scribitur græcè hæc herba, quæ & σκίλλα nominatur, Italicè Squilla, Siculis Cipollaccia.

Sciaditis, seu Sciâtis, epith. Dianæ, quæ templum habuit in vrbe Arcádiæ, cui nomen Scia. Pausan.

Scironis adiect; vt petræ Scironides (aliàs Scironia saxa) scopuli sunt non longè ab Athenis, & à Mégaris; qui transitum non nisi angustissimum relinquunt: ita dicti à Sciróne quodam insigni latrone, in hæc saxa post mortem conuerso.

Scythis adiect; vt mulier Scythis, idest Scythica, cuias fuit auia materna Demósthenis. Scythides appellantur à Flacco puellæ Cólchicæ: Colchis enim regio est Scythiæ Asiaticæ, vbi Medéa nata est.

Sebethis adiect; vt nympha, vel vnda Sebethis, Idest Sebéthi fluminis propè mœnia Neapolis. hæc autem nympha Telóni Caprearum Regi commista Oébalum genuit.

Seleucis est poculi genus à Seleuco Rege nomẽ habens. est etiam auis, quæ vescitur locustis: de qua Oppianus, & Plinius. Seleu-

Seleucides item cognominatæ ſunt quædam triremes, forſitam ab eodem Seleuco.

Selemnis adiect; vt vnda Selemnis, ideſt Selemni fluminis propè Patras, Achaiæ vrbem: cuius aqua eam habere vim credebatur, vt quicumque in ea ſe abluiſſent, amorum ſuorum obliuiſcerentur; vt ipſe met Selemnus adhuc puer, & paſtor, Veneris dono oblitus fuerat Argyræ puellæ amorem, quo prius tenebatur.

Sequanides adiect; vt Muſæ Sequanides, ideſt Gállicæ: ita dictæ à Séquana Gálliæ fluuio.

Serbonis eſt palus iuxta Caſium, ſeu Caſſium montem: quæ, vt Apollonij Scholiaſtes aſſerit, tendit à Syria vſque ad Peluſium Ægypti. ita dicta à Serbis populis iuxta *Mæótim*. in hac palude Typháon (onis) ſeu Typhon (ônis) gigas à Ioue fulminatus, dicitur fuiſſe immerſus. hæc à Ptolemæo Sirbónis appellatur.

Sicanis vel Sicanis adiect; vt Hybla, vel Ætna Sicanis, ideſt Sicula. ita etiam dicitur Muſa Sicanis, &c. Sicília enim dicitur etiam Sicánia à Sicánis Hiſpaniæ populis: vel à Sicano Briárei Cyclópis filio.

Sicelis vel Siceliotis adiect; ideſt res, vel fœmina è Sicilia inſula Európæ. vel fœmina ibi habitans, vt Sicelides Muſæ. Sicelis nympha fuit Cyane Cyanippi Syracuſani filia, Anápo Siciliæ fluuiō propè Syracúſas dilecta; & in fontem ſui nominis tandem conuerſa, hodie la Piſma.

Sicelechis adiect; vt ora Siceléchis, ideſt Síceleg vrbs Philiſtinorum, quam Achis Rex donauit Dauídi, Saûlem fugienti. hæc fuit in Tribu Iudæ, & Simeônis.

Sichimitis adiect; vt mulier Sichimitis, ideſt nata Síchimæ,

mæ, ſeu Sichem, quæ eſt metropolis Samariæ.

Sicinnis ſaltatio quædã inuenta à Sicinno Cretenſi, qui liberorum Themíſtoclis pædagôgus fuit. hæc putabatur Satyrica, ſeu *Bácchica*: vnde & Satyri, Bacchi comites, Sicinniſtæ appellantur.

Sicinitis adiect; vt mulier Sicinitis, ideſt nata in *Sícino*: eſt autem Sícinus inſula exigua maris Ægæi, ita dicta à *Sicino* Thoantis filio: quæ & *Oenóë* appellatur ab Oenoë nympha, *Sicini* matre.

Sicyonis dicitur inſula in mari Ægæo contra *Epidaurum*: vnde Minerua dicta eſt Sicyónia, quia templum ibi habuit, quod *Epópeus* Sicyónis auus extruxit ob partam victoriam contra *Bœotios*.

Sidonis & Sidonis | Dido, ſeu *Elíſa* apud Sidónem Africæ vrbem nata. vel Anna ſoror Didônis, ſeu *Didûs*. vel Europa Phœniſſa (Sidon enim eſt vrbs *Phœníciæ*) à Ioue rapta.

Eſt etiam Sidonis adiect; vt concha, ſeu veſtis Sidonis, ideſt Sidónia; & intelligitur purpura, ſeu veſtis purpurea. huius nominis penultimam corripuit Valerius *Flaccus* in *Argonaut*. lib. 6.

Aſt vbi Sidonicas inter pedes æquat habenas.

Et Ouid. lib. 3. de Arte amandi.

Perque fretum falſo, Sidoni, vecta boue.

Simeonis adiect; vt terra, ſeu Tribus *Simeonis*, quaſi *Simeónia*; quam ſcilicet habuit Simeon, vnus ex duodecim filijs Iacob.

Siméthis, vel Simæthis, v. Symethis.

Simoëntis adiect; vt Troia Simoëntis, ſeu Simoëntia, ita dicta à ſuo flumine Simoënte. vnda Simoëntis dici poteſt aqua dicti fluminis.

Sinibaldis, vt Virgo Sinibaldis, ideſt Diua Roſalia Panormitana, Sinibaldi, Quiſquinæ, & montis Roſarum Domini, filia. quæ abdicatis mundi illecebris profuga è domo patria ſolitariam vitam egit in ſpecu primùm Quiſquinenſi: deinde in Erctæo contra Panormum ſito, vbi ſanctiſſimè vixit, obijtque: ac tandem patriam, & Siciliam à peſte liberauit.

Sinteis adiect; vt Lemnos Sintéis; eſt enim inſula maris Ægæi Thráciam habens à Septentrione, iuxta quam eſt Síntia vrbs. Lemnum autem olim habitarunt Sinties, ſeu Sintij populi, qui poſtea in Thraciam commigrarunt: homines quidem valdè noxij, vnde & nomen habuêre. σίντης enim eſt græcè noxius. atque in hanc inſulam Vulcanum decidiſſe è cælo fabulantur: vnde Lemnius appellatur.

Sirbônis v. Serbonis.

Sirenis adiect; vt petra Sirenis, ideſt inſula Sirenuſſa. v. Sirenias.

Siſyphis adiect; vt ora Siſyphis, ideſt Corinthus: nam Corinthiorum Rex fuit Síſyphus.

Sithnides dicebantur nymphæ aquarum, quæ ſpecum, ſiue aquæductum habebant apud Atticam, cuius indigenæ credebantur: quarum ex vna Ioui natus eſt *Mégarus*.

Sithonis adiect; vt nix, vel fœmina Sithonis, ideſt Sithonia, ſeu Thrácia. Síthonis ora eſt ipſa Thrácia, ſeu pars quædam Thraciæ, græcè σιθωνία (ſecundâ ſyllaba producta) ita dicta à Síthône eius monte. quanquàm & Scython olim dicta fuit ipſa Thracia, vt apud Ptolemæū adnotatur: vnde Scythonius apud quoſdã.

Sithonis etiam poteſt appellari Phyllis in Amygdalum arborem conuerſa. fuit enim filia Lycurgi Thracum Regis.

Soluntis vel Soluntinis } gentile nomen, ideſt mulier è Solúnte, ſeu Solúnto, vrbe quondam Siciliæ, inter Panormum, & Hímeram (hodie Sólanto) v. Soluntias.

Solymitis adiect; vt terra, vel mulier Solymitis, ideſt Sólyma, nunc Híerosólyma, ſeu Hierúſalem(alijs Ieruſalem)vel fœmina ibi nata.

Stagiris adiect; vt terra Stagiris, ideſt Stagíra vrbs Macedóniæ, Ariſtotelis patria.

Stagiritis adiect; vt doctrina, vel ſecta Stagiritis, ideſt Ariſtotélica, ſeu Peripatética: Ariſtóteles enim, vt diximus Stagirita ſuit, & Nicómachi filius.

Stiritis epith. Cereris, quæ fanum habuit Stiride in vrbe Phocidis.

Strymonis Amazon quælibet, ita dicta à Strymone, qui eſt fluuius Thráciæ iuxta Thermodontem. quamuis alij intelligant per hoc nomen quamlibet Bacchā: Bacchæ enim Threiſſæ fuerunt.

Strymonis etiam appellatur Rhódope, prædicti fluminis filia, ex qua Neptuuus Athon gigantem genuit: vnde etiam Rhodope dictus eſt Thraciæ mons.

Stymphalis adiect; vt aqua Stymphalis, ideſt fontis Arcádici, qui Stymphálos dicitur. Stymphalis item appellatur à Pindaro Metópe, quæ fuit filia Ladónis fluuij Arcádiæ, vxor Asópi fluminis Thebarum, mater Thebes, à qua Thebis nomen factum. dicitur autem Stymphalis, quia Arcas fuit: in Arcadia verò & Ladon fluuius,& Stymphálos oppidum continētur.

Stymphalides volucres, dictæ ſunt aues miræ magnitudinis in Arcadia; gruibus æquales; formâ verò

Ibibus

Ibibus persimiles: quæ cum vicinos agros vastarent (pennas autem iaculabantur ferreas instar sagittarũ) & humana carne victitarent, ab Hercule partim sagittis confixæ, partim æris tinnitu expulsæ fuerunt in Arabiam, vbi plures habitant: ita dictæ à Stymphálo lacu Arcadiæ, vbi morabantur, cuius vnda Stymphalis etiam appellatur. Stymphalis verò mulier dicitur, quæ nata sit Stymphali, *Arcadiæ* in oppido, & proximo lacui prædicto. à Rauisio Textóre Stymphalides vocantur Harpyiæ: sed nescio qua ductus ratione id asserat.

Sunamitis vel Sulamitis (vel prima ob necessitatem correpta) dicitur mulier à Sunam, seu Sune, quæ est vrbs in Tribu *Issachar*. talis fuit Abisag puella formosissima ad Dauid iam senem ducta, vt eum calefaceret. atque hæc est sponsa illa mystica, de qua Sálomon agit in Canticis.

Sybaritis dicitur opus, seu poëma Hemitheônis cuiusdam de generibus obscœnarum voluptatum.

Sybaritis item adiect; vt mulier, terra, voluptas, cœna, seu mensa Sybaritis: Sybarítæ enim fuerunt *Italiæ* populi mollissimi, ac delicatissimi. Sybaritis vnda dici potest Sybaris *fluuius Italiæ* (vnde vrbi factum est nomen) qui hodie Cóchile vulgò dicitur.

Symethis vel Symæthis nympha quædam filia Symæthi, Siciliæ fluuij propè Ætnam (vulgò la *Iaretta*, ò *Giaretta*) quæ cum Fauno Acin genuit à Polyphémo dilectum, & ab eodem saxo extinctum; in fluuium, seu fontem deinde sui nominis mutatum, hodie Iaci.

Syndromides duæ sunt insulæ, quæ & Cyáneæ à colore

fuſco vocantur. ita dictæ quaſi concurrentes: inuicē enim concurrere credebantnr. v. Symplegades.

Syracoſis vel Syracoſſis & Syracuſis ‡ adiect; vt lingua Syracoſſis, ideſt qua vtebantur Syracuſani, nempè Dórica. Muſa, ſeu fiſtula Syracuſis, ideſt poëſis bucolica Theócriti Syracuſani. terra, vel ora Syrácoſis, ideſt Syracuſę Sicilię vrbs antiquiſſima, & præpotens.

Syriſcis dici poteſt Semíramis (idis) Babylóniæ Regina, vxor Nini, filia Syriſci, & Dércetûs, ſeu Dercetidis.

Syrtis adiect; vt ora Syrtis, ideſt Africa; nam duæ ſunt in mari Africo Syrtes, maior, & minor; hodie Secche di Barbaría.

T

Tænaris adiect; vt terra, vel ora Tænaris, ideſt Lacónia; ita dicta à Tænaro Laconiæ promontorio.

Tagides dicuntur nymphæ, ſiue aquæ Tagi fluminis Luſitániæ, quod aureas voluere arenas perhibent.

Tameſeis adiect; vt vndæ Tameſeides, ſeu Tamiſeides, ideſt fluuij Taméſidis, qui eſt celeberrimus in Anglia, vulgò Tamígi. ora Tameſeis eſt ipſa Anglia.

Tanaitis dicitur mulier vrbis Tanáidis, quæ eſt ad oſtia fluminis eiuſdem nominis in Scythia. vel nympha, ſiue vnda fluminis prædicti.

Tantalis Níobe Tántali filia ex Euryanaſſa, & vxor Amphíonis Regis Thebarum: cui duodecim, vel iuxta alios

alios, quatuordecim liberos, ſeptem mares, totidemque fœminas interfecerunt ſagittis Apollo, & Diana; quia Niobe ſe cum Latona comparans, prolem ſuã pulcriorem prædicabat. filiorum nomina erant Sípylus, Agénor, Phaédimus, Iſménus, Eupínytus, Tántalus, Damasíchthon. filiarum verò nomina *Neæra*, Cleodoxe, Aſtyocha, *Pháëtha*, Pelópia, *Egyge*, Chloris.

Tántalis etiã dicebatur olim Sipylus, ſeu Sipylum vrbs, Mæóniæ caput, ab ipſo Tantali Rege, vel ab ipſa Niobe Tantali filia, quæ in hac vrbe in ſaxum mutata fuit: vnde dicitur mater, ſeu cautes Sipyleïa. Eſt autem *Mæonia* regio minoris Aſiæ, Phrygiæ vicina.

Tántalis adiect; vt ſtirps, ſeu proſapia Tantalis. vel ſitis Tantalis, ideſt quæ Tantalum in inferno flumine merſum vexabat.

Tarantis | adiect; vt vnda Tarantis, ideſt aqua Tarantis ſeu fluuij. terra *Tarantis*, ideſt Tarentum ipſum, Tarentis | Calábriæ vrbs, vbi eſt dictus fluuius, ita appellatus à *Tarante* Herôë Neptuni filio.

Tarteſſis Hiſpániæ regio circa oſtium Bætis fluminis. ita dicta à Tarteſſo Hiſpaniæ Bœticæ oppido: vbi olim Geryon Rex habitaſſe fertur.

Tauromenitis adiect; vt mulier, ſeu terra Tauromenitis, ideſt Tauromenitana. eſt autem Tauromenium, ſeu Taurominium, aut *Tauromínum* vrbs Sicíliæ propè Meſsánam, vulgò *Taormína*, quam Andrómachus condidit.

Tegeatis adiect; vt capra Tegeatis, ideſt Arcàdica. Tégea enim eſt Arcadiæ oppidum, in quo Pan præcipuè colebatur, vnde dictus eſt *Tegeæus*. Tegeatis etiam dicitur fœmina quæuis ex dicta vrbe Tegea, cuias fuit

Mar-

Marpessa mulier bellicosa, & strenuissima. quæ vrbs nomen habuit à Tegeáta, Lycáonis Arcadiæ Regis filio.

Tempis adiect; vt laurus, seu Daphne Tempis, idest Thessalica: nam Tempe sunt valles nemorosæ in Thessalia, vbi primùm laurum inuentam dicunt. ita Nicander in Alexiphármacis.

Termessis adiect; vt Aganippe Termessis, idest Termessi, Bœótiæ fluuij, filia: quam in fontem mutatam aiunt ad Heliconis montis læuam.

Teucris adiect; vt Ida Teucris: Ida enim est mons ad Troadem spectans: Teucer autem in Troia regnauit, à quo Teucria fuit appellata. mulier Teucris, idest Troiana.

Thameséis v. Tameseis.

Thamnitis adiect; vt mulier Thamnitis, idest nata Thãnæ, quæ est vrbs Palæstinæ. rhamnus Thamnitis dicitur Nicandro, vel quia hæc planta, (Italicè pruno, ò rouo, albero spinoso) ibi próuenit; vel quia θαμνίον, idest frutex paruus, & densus est.

Thamnathis Dálila, seu Dalida Sampsônis concubina: ita dicta à Thamnátha eius patria. alij legunt Thymnátis.

Thaumantis Iris, Thaumantis filia. v. Thaumantias.

Thebais est Ægypti regio, à Thebis vrbe potentissima nomen habens.
sic etiam appellatur poëma Papinij Statij, continẽs bellum inter Etéoclem, & Polynîcem fratres ad Thebas gestum, libris duodecim. quo quidem nomine inscriptum antea fuit poëma græcum, quod non nulli auctores Homéro tribuunt: cuius aliquot versus laudantur à Pausania.

Est etiam adiect; vt Thebais nupta, ideſt Andrómache, filia *Eetiônis*, Regis Thebarum in Cilícia.

Thebais item, ſeu Thebaitis dici poteſt quælibet mulier Thebana, vel Thebæa.

Thebaides, ſeu *Thebáicæ* ſunt palmulæ aridiores, quæ in Thebaide Ægypti gignuntur. Plin.

Thecuitis nomen patrium, ideſt mulier nata Thécuæ, quæ vrbs eſt Iudęæ: cuias fuit illa, quæ impetrauit à Dauíde Abſalónis reductionem.

Thermitis adiect; vt ora Thermitis, ideſt Thermæ, ſiue Himerenſes (hodie *Términi*) ſiue Selinuntiæ (hodie Sciacca) vrbes Siciliæ. Aqua, vel vnda Thermitis, ideſt aquæ calidæ, ſeu balnéæ, quæ inibi ſurgunt.

Theſeis poëma, ſeu Tragœdia, continens res geſtas Théſei, quam Codrus vitioſus poëta ſcripſit.

Theſprotis adiect; vt terra, ſeu regio Theſprotis, ideſt Theſprótia, quæ eſt regio Epíri, Chaóniæ proxima, cuius incolæ dicuntur Theſpróti, vel Theſprôtæ: fœmina vero Theſprôtis; & ita per epíthetum appellari poteſt *Epírus* ipſa.

Theſprotis etiam eſt titulus cuiuſdam poëmatis Græci de Penélope.

Theſſaliotis dicitur vna ex quatuor Tetrarchijs Theſſáliæ. reliquæ autem vocabantur *Pelaſgiótis*, Iólcítis, Phthiótis.

vel adiect; vt mulier Theſſaliotis, ideſt Théſſala. ora Theſſaliotis, ideſt Theſſalia ipſa.

Theſſalis adiect; vt res, vel fœmina Theſſalis, ideſt ex Theſſália. ita dicitur *Daphne* Theſſalis. item Erichtho Theſſalis; nam hæc fuit maga, quo mulierum genere abundat Theſſalia. ora, vel terra Theſſalis eſt ipſa Theſſalia. equa Theſſalis, ſeu Theſſalica, ideſt

eximia; equarum enim Thessaliæ olim prima laus fuit.

Thoantis Hypsípyle, siue Hypsipiléa Thoantis filia, Regina Lemni insulæ: quæ sola patrem seruauit, cum reliquæ mulieres Lemniæ suos & viros, & filios omnes occidissent. Thoantis ora dici potest Táurica regio, vbi Thoas regnauit: à quo etiam dicitur Thoantêa: vnde Thoantea Diana, quia ibi colebatur.

Thonitis palus apud Ægyptum, ita dicta à Thone, qui fuit Canópi Rex. vel mulier Canópica, seu Ægyptia: Thonis enim est vrbs ad ostium Canópicum sita.

Thrinacis dicitur Sicília, pro Trinacris, à Thrínaco quodam eius olim domino. ita Cluuer.

Thunis v. Thynéis.

Thyneis adiect; vt insula, siue ora Thyneis, idest Thyne, seu Thynia insula in fronte Bithyniæ, iuxta fauces Ponti. Apoll. Rhod. lib. 2. eadem Thynis dicitur: vel per appositum, vt terra Thynis. cuius populis (qui Thyni dicebantur) Phíneus imperauit. idem Apollon. De his autem Claudianus ita scripsit.

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Thyreatis adiect; vt terra Thyreatis, idest Thyreæ (arum) seu Thyrea (æ) oppidum propè fines Argiui agri, & Lacedæmonij: pro quo acquirendo duo illi populi inter se dimicarunt.

Thyrides dicuntur Taénari Lacóniç promontorij fastigia duo, seu vertices. ita dicti quasi fenestræ, & ostiola dicti montis: θυρίς enim græcè est ostiolum.

Tibarenis seu Tibarânis adiect; vt terra Tibarenis, idest Tibarània, ita dicta à populis Tibarenis, seu Scythicis in Asia. sunt autem Tibareni (vt refert

Nym-

Nymphodôrus) maximè amantes recti. itaque nunquam bellum mouent, niſi prius denuntiata die, loco, & hora pugnę. mulieres verò in hac terra cum pariunt, viros curant tanquam puerperos. Apoll. Rhod. lib. 2. & eius Scholiaſtes.

Tiberinis adiect; vt nymphæ Tiberinides, ideſt Tiberis Romæ fluuij, qui etiam dicitur Tiberinus à Tiberino Siluio Albanorum Rege, ibi ſubmerſo.

Tíndaris v. Tyndaris.

Tírynthis adiect; vt Alcmêna Tirynthis, ideſt ex Tirynthe, ſeu Tiryntha vrbe Peloponnéſi, Argis vicina, vbi Hercules nutritus fuit. hæc olim Haliêis dicebatur, quaſi piſcatoria ab ἁλιεὺς, ideſt piſcator: plures enim Hermónei illic piſcantes habitabant. eſt autem Hermon, (ônis) piſcatorium in Peloponnéſo.

Titanis dicitur Tethys (yos) filia Cæli, ſeu Titanis, & Veſtæ, ſeu Terræ; vxor Océani, & mater Nympharum. quæ à Lycóphrone anus Titanis appellatur: antiquiſſima enim fuit, vti & Oceanus eius coniux, qui rerum omnium principium fuiſſe creditur.

vel Latôna filia Cœi Titanis (quamuis alij Saturni filiam faciant) & Aſterie, ſiue Aſtéria eius ſoror, priùs in coturnicem, deinde in Ortygiam inſulam, (quæ Delos etiam dicitur) mutata.

vel Luna, ſeu Diana ſoror Phœbi, qui Titan dicitur, filia verò Latonæ, & Iouis. Titanis etiam dicitur Tríuia per epítheton.

vel Nox (vt opinatur Rauiſius Textor) Terræ filia, & ſoror Titanum, ideſt Gigantum.

vel adiect; vt Circe Titanis, ideſt filia Solis, qui etiã dicitur Titan. herba, ſeu radix Titanis, eſt herba Promethêa (cuius flos croco ſimilis erat) qua vtebatur Medêa inter alia pharmaca venenata. ita dicta

quia Prométheus eius vires prior obſeruauit: vel quia fabuloſè ex ipſius ſanie natam dicebant. ille enim cum gigas eſſet, & Iápeti Titanis etiam, ſeu gigantis filius, nomen vtique dedit herbæ illi, quæ Titanis dicta fuit ab Apollonio lib. 3. Titanis terra dicitur eidem Apollonio quædam regio, ſiue oppidum Æolidis à Titane, ſeu Titano fluuio ſic nominatū.

Tithonis dicitur Aurora ab eius marito, qui Tithônus appellabatur. Tithonides aues dicuntur cicadæ, quia Tithonus iam ſenex decrepitus in cicadam mutatus eſſe dicitur.

Torrhebis eſt locus, ſeu ager Lydiæ propè Torrhébum, vrbem eius regionis; quæ nomen habuit à Torrhébo Atyos filio. ibi etiam iuxta montem Carium erat palus Torrhébia (quæ Torrhébis etiam dici poteſt) vnde audíta fuit à Cario quodam homine Iouis filio (cuius vxor Torrhébia dicebatur) vox harmonica nympharū, quas Lydi *M*uſas vocabant. Stephanus de nymphis Lydorum.

Trachonitis (ſed ab Hontéro lib.4. Coſmographíæ ſecunda ſyllaba breuiatur) regio Iudææ inter montem Líbanum ſita, & lacum Tiberiadis: ita dicta à loci aſperitate; nam τραχὼν (ῶνος) ſeu τράχων græcè eſt aſper.

Trinacris adiect. vt Hybla, vel Ætna Trínacris, ideſt Sicula. ora Trinacris, ideſt Sicília, quæ dicitur Græcis Trinácria, Latinis verò Tríquetra, à tribus ſuis promontorijs, Pelóro, Pachyno, & Lilybæo. Trínacis etiam vocatur apud quoſdam auctores Græcos, à Trínaco Rege olim Siciliæ, vt memorat Apollonij Scholiaſtes.

Triopeis Metra Erisíchthonis filia pulcherrima, Tríopæ neptis: quæ cum à procis oues, boues, equos &c. do-

no acciperet, vulgò Théſſali dictitabant Metram eſſe patri ſuo bouem, equum, ouem; & varias ſubinde formas induere. vnde factum prouerbium, Metrâ mutabilior.

poteſt etiam ita nominari Meſséne Argiua, Tríopæ filia, Phorbantis neptis, Polycáonis vxor.

Triphylis adiect; vt ora, ſeu terra Triphylis, ideſt Eléa: nam Elis, Peloponnéſi regio, dicta eſt Triphylia. mulier quoq; ex ea regione dicitur Triphylis.

Triquetris adiect; vt ora Triquetris, ideſt Sicília. mulier Triquetris, ideſt Sícula.

Tritonis eſt palus in Africa, à Tritóne flumine ſic appellata. vel Minerua, ita dicta à lacu Tritonide, ſeu à Tritone fluuio in Africa, vbi ea dicitur apparuiſſe. Apoll. Rhod. Triton autem nomen habuiſſe videtur à Tritone quodam, qui fuit Libyæ Rex.

Eſt etiam adiect; vt pinus, ſeu nauis Tritônis, ideſt Palládia; & intelligitur Argo, prima nauis à Pallade inuenta. Tritonis Arx, erat Arx Athenarum, Palladi Tritóniæ dicata. Tritonis vrbs dicũtur Athénæ Palladi ſacræ. fuit quoque, Tritonis, nympha quædam, Tritonis fluuij filia, ex qua Amphítemis, Apollinis filius, ſuſcepit Naſamônem, & Capháurum. Apoll. Rhod.

Tritônis nympha dicitur Silio poëtæ quælibet Amazon quaſi Tritonis fluuij filia. Amázones enim non ſolùm ad Thermodontem fluuium in Ponto; ſed etiam Tritonidis paludis inſulam in Libya habitauere. Tritonis Thebe dicitur Apollonio, ideſt Ægyptia: Thebæ enim aliæ Bœótiæ, aliæ Cilíciæ, aliæ Ægyptiæ fuerunt. Triton autem eſt fluuius Africæ, ad quam Ægyptus ſpectat. vel, ſi Hermippo fides habenda, Nilus ipſe primùm Triton dicebatur: deinde verò à Nilo

quodam Cyclôpis filio, Tántali nepote, in ijs locis regnante, nomen demutauit. Schol. Apoll.

Tyberínis v. Tiberinis.

Tyndaris Hélena mulier Lacæna, Tyndari, vt putabant, seu Tyndárei filia: sed re ipsa Iouis filia ex Leda, (ex Némesi alijs) soror Cástoris, & Pollûcis, bis ob eximiam venustatem rapta; primùm à Théseo, deinde à Páride.
vel Clytæmnestra, Tyndari, & Ledæ filia, Hélenæ soror.

Tyndaris etiam dicta est vrbs olim Sicíliæ propè Pactas (vulgò Patti) vbi hodie templum est Virginis Deiparæ, vulgò Santa María del Tindáro.

Tyndaritis dici potest mulier, seu res dictæ vrbis Tyndaridis nunc dirutæ. quare ædes, seu Virgo Tyndaritis appellari potest templum, siue imago Beatæ Virginis apud Tyndarida, seu Tyndarium, supra memoratæ.

Typhois adiect; vt Ætna Typhôis, ita dicta à gigante Typhóëo, sub ipsius montis radicibus sepulto, postquàm à Ioue ictus est fulmine.

Typhoides vide infra post nomen Typhonis.

Typhonis dicitur Chimæra, Lyciæ mõstrum, Typhônis, & Echidnæ filia. huius caput erat leonis, pectus capræ, cauda draconis; & ignem ex ore, ac naribus efflabat: quam Bellérophon Pégaso vectus occídit.
vel Sphinx (ngis) Typhonis item, & Echidnæ filia. erat illa monstrum quoddam apud Thebas, quod faciem, & pectus puellæ habebat, corpus canis, pedes leonis, caudam draconis, alas verò auium.

Typhonides | seu Typhoides } Harpyiæ dicuntur Valerio Flacco; qui putat eas esse Typhônis, seu Typhóëi filias.

Tyre-

Tyreátis v. Thyreatis.

Tyrrhenis adiect; vt vnda Tyrrhenis, ideſt Thyrrenum ſeu mare, quod etiam dicitur mare inferum, ſeu Thyrsénis Tuſcum. Tyrrhenis terra, ideſt Etrúria. Nymphæ, ſeu Muſæ Tyrrhenides, ideſt Etruſcæ. Tyrſenis ora, ſeu Tyrrhenis terra dicebatur olim omnis ferè Italia ad fretum vſque Siculum. quare Ææa, Circes inſula, dicitur fuiſſe ad oram Tyrſenida. Apoll. Rhod. lib. 4.

V

Vulcanis adiect; vt terra Vulcanis, ideſt Lemnos inſula maris Ægæi, vbi Vulcanus nutritus fuit.


Vulcanides petræ, ſeu rupes dici poſſunt inſulæ Vulcániæ, vbi eſt Lípare, &c. v. Hephæſtiades.

Vranis dici poſſet Thea, ſeu Thia, Rhea, Themis, Mnemóſyne, Phœbe, Tethys (yos) quæ omnes Vrani, ſeu Cæli, & Terrę filiæ fuerunt, vt ait Hesíodus: οὐρανὸς autem græcè eſt cælum. item Erinnyes, & nymphæ Méliæ eorumdem filiæ, ex eodem Heſiodo.

Z

Zanclis vel Zanclêis — adiect; vt mulier, vel ora Zanclis, ideſt Meſſanenſis: Meſsána enim (Italicè Meſsína,) Zancla olim dicebatur à falce Saturni ibi abſcondita, quam Sículi Zanclon appellabant.

Zephyritis vel Zephyrêis — Chloris (idis) ſeu Flora Zéphyri vxor, & florum Dea apud poëtas; Veneris autem filia. Catullus, & Callimachus vtuntur primo patronymico; ſecundo autem Nonnus.
ita etiam dicitur Venus, quæ in Zephyrio Ægypti promontorio colebatur, ibiq; templum habebat, nomine Arſinoës Veneris.
vel ipſa Arſinoë Ægypti Regina, Ptolemæi Lagi filia, quæ in Ægypto Venus Zephyritis fuit appellata, vt ait Callimachus.
vel adiect; vt aura Zephyritis, ideſt ventus, Zéphyrus, ſeu Fauonius, *Italis* Ponente. Zephyrêis penna, vel ala, ideſt volatus, ſeu flatus Zephyri prædicti.



FOEMI-

FOEMININA in ne

Acrisione Dánaë filia Acrisij, Argiuorum Regis, & Pérsei mater ex Ioue, qui ad eam instar aureæ pluuiæ descendit: ex qua statim facta est grauida.
vel Euadne (non illa Martis) Acrisij filia, vxor Oenómai Regis Elidis, mater verò Hippodamię, quam Pelops vxorem duxit.

Adrastine Deíphile, vel Argîa, Adrasti filiæ, quarum prima Tydeo, altera Polyníci nupsit: illa Diomédis mater, hæc Thersandri.

Aeetine Medéa Æétæ, Colchorum Regis filia. v. Æétis.

Dindymene Cybele Deorum mater, ita dicta à Díndymo Phrygiæ monte, vbi colebatur. hæc ab Apollonio Rhodio mater Dindymia, seu Dindymea nuncupatur.

Dione dicta est Venus, non tantùm, quia Diónes filia; sed quia Iouis. est enim patronymicum formatum à genitiuo διὸς, idest Iouis. hinc Dionêus, idest Venereus, vt Dionêum astrum, seu Dionêa stella, idest Veneris.

Eetione Andrómache Héctoris vxor, Eetiônis Thebarum in Cilícia Regis filia: cuius filios vnà cum patre Hercules occidit.

Electryone Alcmêna Electryônis, Mycenarum Regis, filia. ita etiam appellari solet (vt ait Hellanîcus) Samothrâce insula maris Ægæi, quia ibi habitauit Electra,

ctra, quæ ab indigenis appellatur στρατηγίς, ideſt ſtratêgis, nempe ductrix, ſeu imperatrix. ſecunda tamen ſyllaba græcâ licentia breuiari poteſt. v. Electryónis.

Euenine Marpiſſa (alijs Marpeſſa) filia Euéni (hic fuit Martis, & Stéropes filius, Rex Ætóliæ) ex Alcippa Oenómai filia. Marpiſſa verò ab Ida Aphárei filio rapta, genuit ei Cleópatram, aliâs Alcyonem. Euênus autem pater, doloris impatientiâ, cum raptorem aſſequi non poſſet, in Lycorman fluuium Ætóliæ ſe conjecit, qui deinde ab eius caſu Euênus dictus eſt. Homer. Iliad.

Heroine vel Heroina — fœmina quæuis illuſtrior, & quaſi ſemídea, atq; immortalis ob ſuas naturæ, fortunæque dotes, geſtáq; præclara. Heros enim eſt ſemideus, ideſt qui vel patrem, vel matrem habuit immortalem, ac Deum: vel qui poſt mortem immortalis factus eſt, aut fiet. dicitur etiam græcè ἡρώνη ideſt heróne per contractionem.

Iapetione Pyrrha Epiméthei filia, & Iápeti neptis. vel vnaquæque Heſperidum, quæ neptes itidem Iapeti fuerunt: nam Iapetus pater fuit Héſperi, Atlantis, Epiméthei, & Prométhei. ſingularum nomina vide in voce Heſperides.

Iáſióne videtur intelligi Ceres, quæ Iaſium, ſiue Iaſiônem, Iouis ex Electra filium adamauit, & ex eo Plutum, diuitiarum Deum apud Ethnicos, peperit. vel Atalanta Arcádica, Iaſij, ſiue Iaſiônis filia.

Icario-

Icarione vel Icarioē — Penélope Vlyssis vxor, Icarij filia, & Periboeæ. quæ Penelope Icariôa apud nonnullos effertur vltimâ breui, & per syncopen. v. Icaris.

Inachione Iō Inachi fluminis filia, in vaccam conuersa à Iunone.

Neptunine vel Neptunina — Thetis (idis) filia Nérei, quæ de Theócriti, & Catulli sententia fuit filia Neptuni. at secundùm alios neptis Neptuni, qui etiam dicitur Pontus. fuit enim filia Nérei, qui filius dicitur fuisse Ponti, seu Neptuni.

Ita etiam appellari potest Alcyone Ceycis coniux, filia Neptuni, ex Alcyone, siue Alcínoë, Atlantis filia.

Nerine dicitur Galatêa filia Nérei, & Dorídis, à Polyphémo Cyclôpe adamata, cui tamen illa Acim pastorem præferebat. sic etiam appellari potest quælibet nympha marina Nerei eiusdem filia. v. Nereides.

Nereine inuenítur apud Cálabrũ poëtam, qui ita scripsit:

Ὀρνύμεναι τιμὴν ἑλικώπιδι νηρηΐνῃ.

Nonacrine vel Nonacrína — Atalanta virgo Arcádica; & venatrix: ita dicta quasi filia Nonácridis Arcadiæ montis, & vrbis, vbi Mercurius colebatur, Nonacriátes, seu Nonacriáta inde appellatus.

ita etiam appellari potest Callisto, siue Vrsa maior, quæ fuit Lycáonis Arcadiæ Regis filia, & deinde à Iunone in pœnam adulterij cum Ioue, conuersa in Vrsam: à Ioue tamen in Cælum translata inter astra.

vel adiect; vt nympha Nonacrine, idest Arcádica: Nónacris enim dicta est vrbs Arcadiæ, à Nonacride Lycáonis Regis vxore. fera Nonacrîna dicitur Vrsa, & alluditur ad Callistônem prædictam, quæ in Vrsam mutata dicitur.

Oedipodione vel Oedipodiona — Sphinx (ngis) monstrum, cuius facies erat virginea, pennas habebat auium, pedesq; leonis: quæ soluto suo ænigmate de animali scilicet primùm quadrupede, deinde bipede, tum tripede (quod est homo) ab Oedipo, siue Oedipode, sese de saxo Sphincij montis (vbi habitabat) præcipitauit.

Ita etiam dici potest Antígona Oedipi, & Iocastæ filia, quæ cæcum patrem deducebat.

Oceanine vel Oceanina — Thetis (idis) Océani neptis, quia filia fuit Nérei, & Doridis. Doris autē fuit Oceani filia. ita etiam dicitur quælibet nympha Oceani filia, vti Persêis &c. eas autem fuisse ait Hesiodus ter mille. v. Oceanitides.

Tiberione seu Tiberiôna — dicitur Lara, seu Larunda, quæ Mánia etiam nuncupatur, Larium Deorum geminorum mater, Tiberis fluuij olim nympha, deinde stygiæ paludis.

Tyndareone Hélena Iouis ex Leda filia; quamuis Tyndari, seu Tyndárei soboles putaretur.

FINIS

PATRONYMICORVM APPENDIX, & paucorum vel explanatio, vel correctio.

Abantiades Canéthus item Abantis filius, à quo Canéthus mons Bœotiæ. vel Canthus Canéthi filius, Abantis nepos, vnus ex Argonautis.

Abantiades Laodocus, Alaus &c. delenda censeo: eadem enim ferè nomina repetuntur in Biantiades.

Abdarides Holofernes Dux Assyriorum, Abdari filius, à Iuditha fœmina Hebræa occisus in castris. Tortolettus in Iuditha vindicata lib. 5.

Actæonidæ dicuntur Actæônis vel filij, vel posteri. ita etiam per appositum appellari possunt ipsius canes, qui dominum suum rabie perciti dilacerarũt. in Epigr. græcis lib. 3. Epigr. 399. Actæonis incrementum longum est, licèt quandoque inueniatur breue apud poëtas, vt in hoc loco citato: vbi tamen veriùs existimo esse patronymicum fœmininum.

Adrastides Ægiáleus Adrasti filius, à quo Ægialéa vrbs. Pausan. in Corinth.

Adrástidæ dicuntur posteri Adrasti Regis Argiuorũ: inter quos fuerunt Diomédes, & Thersãder Adrasti nepotes ex filiabus: illum enim Deiphile, hunc Argía Adrasti filiæ genuerunt: & ab hoc Thersandro oriundus fuit Theron (ônis) Agrigentinus. Pindari Scholiastes.

Aegídæ dicuntur etiam Lacedæmonij quidam, vel ab Euryleonte Aégei filio; vel quia, vt ait Pindari Scholiastes, in vrbe Lacedaémone habitarunt Ægidæ: vnde in Theram, ac postea Cyrenen commigrarunt. ode 5. Pythior. vel tribus quædam, seu gens Thebæa à quodam Aégeo Thebano cognominata, a qua venerunt

quidam Spartam, vt Lacedæmonijs opem ferrent, contra Amyclæos pugnantibus. Pind. ode 7. *Isthmior.*

Æolides dicitur Minyas; nam ab Æolo ex materno genere duxit originem: fuit enim filius Neptuni, & Chrysógones, quam genuit Almus filius Sisyphi, ab Æolo geniti. itaque Minyas fuit abnepos Æoli: & hic Minyas Orchómenum Thebis vicinam vrbem condidit. Apoll. Rhod. lib. 3. & eius Scholiastes.

vel Idmon ab Æolo ducens originem; filius enim erat Abantis, qui fuit Æoli abnepos. Apoll. Rhod. lib. 2.

Æólidæ, ex Pindari Scholiaste, sunt Deucálion Prométhei filius, & Deucalionis filius Hellen, cuius est Æolus. huius autem Crétheus, Athamas, Salmóneus. & Créthei quidem filius Æson. Aésonis autem Iason. Salmónei verò Tyro mulier. Tyrûs autem, & Neptuni Pélias, & Néleus, &c.

Æsímides Sinon, qui, vt scribit Cantérus in Lycóphronis Cassandram, Vlyssis consobrinus erat, natus ex Aésimo fratre Anticléæ, quæ fuit Vlyssis mater.

Aëthliades, seu Æthliades, Endymion Aëthlij, siue Æthlij & Cálices filius, genere Arcas, seu Spartiata, siue Elêus, &c.

Æthónides veriùs dici potest Erisichthon Thessalus, qui Æthon etiam fuit appellatus, testibus Hesiodo, & Athenæo, ob ardentem ingluuiem, & igneam absumendi vim; ita vt suos etiam artus diuelleret, suisque se carnibus aleret. huius filia Metra vocabatur; Lycóphroni verò Mestra: quam in varias mutari formas fabulantur.

Agenórides etiam dici posset Argus centoculus, quem Agénoris filium fuisse affirmat Iosephus Scaliger in Catulli Genethliacum de nuptijs Pélei, ac Thetidis.

Arestórides dicitur etiam Argus centoculus de Ouidij sentẽtia. quanquàm Iosephus Scaliger negat *Arestoris*, siue

siue *Aristoris* filiū fuisse Argū cētoculū, seu πανόπτην: cuius patrē Agenorē indigitat. verùm Ouidius lib. 1. Metamorph. de Iō, seu Ione loquens, ab Argo isto custoditā, sic cecinit:

Donec Arestoridæ seruandam tradidit Argo.

Quod item astruunt eiusdem commentatores Raphël Regius, & Lactantius: quin & *Iacobus* Micylus, seu Micyllus ibidem affert Pherecydis testimonium, ita scribentis: Argus Iouis filius, Pitho, seu Pithônem Oceani filiam ducit vxorem, quæ genuit Críasum, à quo natus Ereuthalion (vnde dicta Ereuthália vrbs Argiuorum) & Phorbas. ex hoc nascitur Arestor, à quo Argus *Iō*, seu Ióni custos à Iunone datus.

Aretiades dicitur etiam Chalybs (ybis, à quo Chalybia vrbs) *Martis* filius. Chalybes autem ferri metallum inuenerunt, & effinxerunt.

Asterides Minos, &c. qui non filius, sed pater Asterij, siue Asteriônis fuisse dicitur iuxta Pausan., & Cantérū in Lycôphronem.

Bacchiades dicitur etiam Chersócrates, qui Corcyram ædificauit (hodie Corfù) expellens inde Colchos immorantes, qui in *Epírum* commigrarunt. ita dictus à Bacchio (alijs Bacchia) Dionysij, seu Bacchi filio.

Branchiades, seu Bránchides dicitur Apollo, &c.

Bránchidæ dicebantur vates Apollinis, in templo quodam Miléti oracula edentes, vbi prius oraculum habuerat ipse Branchus. Branchidæ, seu Branchidum oppidum, vocabatur quædam vrbs Mileti. Pausan. vnde Brachésiam vocat Lycophron puellam Milesiam.

Cercaphides *Ialysus*, vel Camírus, seu Lindus filij Cércaphi, & Cydippes *Ochimi* filiæ, nepotes Solis. quorum singuli tres in Rhodo insula vrbes cognomines habuerunt. Scholiastes Pindari ode 7. *Olymp.*

Chisiades Alexander VII Pont. Max. à Chisijs trahens origi-

originem. Chisiadæ dicuntur eius nepotes & posteri: ita in poëmate de Vechio Soc. Iesu Sacerd; & Martyre.

Clytidæ omnes posteri Clytij, qui fuit Alcmæonis filius: inter quos censetur Eperastus vates. Pausan.

Eratidę (vel prima ob necessitatem producta) tribus quædam in Rhodo insula: vnde ortum ducebant maiores Diágoræ, Rhodij pugilis: ita dicti ab Eratide quodam. verùm Pindari Scholiastes Erastidæ legit pro Eratidæ; & ab Erastíde deducit. Ode 7. Olymp.

Hyllidæ dicuntur Lacedæmonij ab Hyllo Herculis filio. vel potius Dorienses: fuit enim Hyllus Doriensium clarissimus. Pind. Scholiast. ode 1. Pythior.

Iagelonides Vladisláus IV. Polóniæ Rex, à Iagelône trahens originem. cuius maiores (vti & posteri) Iageló-nidæ appellantur à Casimiro lib. 4. lyricorum, ode 38. ex horum familia, vt ait Bellarminus, fuit Diuus Casimírus, Polóniæ Rex, quem ex inclyta stirpe Iagellonia oriundum scribit. vnde formari etiam posset Iagellonides.

Ieromides Elcana filius Iéroham, seu Iérohami; vel Ieróhamæ, & per syncopen Iéromæ, Samuelis pater; quem illi peperit Anna vxor.

Ilatides Polyphêmus Argonauta. v. Elatides.

Lampriades Plutarchus philosophus, & historicus Chæronensis, idest Chæronéæ natus, quæ est vrbs Bœótiæ. ita dictus ab auo suo, qui Lámprias vocabatur.

Latóides malè dicitur Buzes; nam Latoidæ in versu citato à Pausánia est potius datiui casus, quàm genitiui. Amasæus enim interpres ita ediderat:

Naxi hæc Latoidæ fecit solertia Byzæ.

quem versum sic emendat Fridericus Sylburgius.

Naxius Euergus me Latoidæ dedit, ortus
Byza, &c.

&

& propiùs quidem accedit ad græcum carmen, quod est huiusmodi;

Νάξιος εὐεργὰς με γένει Λητοῦς πόρε, Βύζεω Παῖς, &c.

Lechiadæ v. pag. 67. sub finem litteræ L.

Lycurgídes Ancæus (alijs Angæus) Arcas, & Argonauta, Lycurgi gigantis, & Antínoës filius, Alei aui paterni nepos, ab apro Calydonio interemptus. verùm Hyginus duos memorat Ancæos, & vtrosque Argonautas. quorum primus Tegeátes genere, & Lycurgi filius; alter Samius, & Neptuni ex Astypalæa filius fuit: qui Tiphy mortuo successit in munus gubernatoris; ac tandem ab apro fuit dilaceratus.

Nelídæ item sunt Nélei posteri, quos Heraclídæ Messénia expulerunt: inter quos cẽsentur Alcmæon Silli filius, & Pisistratus Pisistrati filius; nec non Paeonis liberi; & Melanthus Andropompi filius.

Nelídæ quoque dicuntur Iónes Græciæ populi, qui Néleum, seu Níleum Codri filium secuti, ex Attica, vbi morabantur, commigrarunt; & Câriam occuparunt, ac Phrygiam. Néleus autem coloniam hanc Milétum primò, deinde Cyzicum deduxit. Apollon. Scholiastes.

Ophiónides potest producere tertiam syllabam; Lycophron enim in Alexandra meminit cuiusdam Ophiónis, quod per ω scribit, etiam in obliquis, tum ipse, tum eius Scholiastes, qui addit: Ophíon ante Saturnum cum Eurynome vxore regnabat: cuius postea solium tenuit Iupiter, expulso Saturno Ophiónis successore.

Pallántidæ, seu Pallantiadæ dicuntur Pallantis Atheniensis filij, quos vnà cum patre, quia res nouas moliebantur, occidit Théseus. citatur prius patronymicum à Scholiaste Lycóphronis.

Potest etiam sic appellari Euander Arcas, nepos (alijs prónepos) Pallantis, qui occiso patre, suadente Nicóstrata, seu Carmenta (alijs Carméntide) eius ma-

tre, ex Arcadia profugus in Italiam venit. vbi Pallãtêum vrbem condidit, nunc Palâtium appellatum.

Phemiades etiam iuxta Lycóphronem appellari posset Aégeus Phemij filius; imò etiam Théseus eiusdem nepos: licèt re vera Pandíonis filius fuerit Ægeus, non Phemij, vt aduertit eiusdem poëtæ Scholiastes.

Phorbantiades etiam dici posset Augéas Phorbantis, & Hyrmínæ filius: licèt vulgò Solis filius dictitetur.

Piraides Ptolemæus quidam Piræi filius, pater Eurymedontis aurígæ Agamemnonis. Homer. lib. 4. Iliad.

Psametichides, vel Psammetichides Netus Psammétichi filius, & per licentiam Psamétichi &c.

Saberiades pro Xaueriades dici etiam potest: Xauerius enim, vel Saberius, & poëticè Sabêrus efferri solet.

Telamônides, seu Telamoniades dicitur etiam Trambélus, Telamônis, & Hesíones filius, frater verò Teucri, Miléti in vrbe genitus: qui postea Lélegum Rex fuit. Lycophron, & Athenæus.

Tydídæ volucres (ita vt Tydidæ sit genitiui casus numeri singularis) idest Diomedis aues, quæ & Diomedéæ appellantur, sunt Ardeæ, siue Cygni (aut ijs similes) in quas aues socios Diomedis mutatos fuisse perhibēt.

Tyndarídæ apud Euripidem inueniuntur tertiâ productâ, vtpotè formati à Tyndáreo eorum patre, alijs Tyndaro, vt credebatur. sic enim scribit in Oreste.

Σὺν Τυνδαρείδαις τοῖς Διὸς υἱοῖς.

Valliades appellatur Petrus la Valle à Patre Sgambáto Soc. IESV in quodam epigrammate, in auctoris laudem conscripto; idque deduxit à cognomine ipsius familiæ de Valle.

Vechiades P. Horatius Vechius Soc. IESV Sacerdos, & Martyr, Alexandri VII. Pontif. Max. consanguineus, habetur in quodam poëmate nostri auctoris.

Alesias

Aleſias, vel *Aléntia* dicitur Venus ab Alente, ſiue Aléſo (alijs Haléſo) Colophônis fluuio, ad quem colebatur. Cantérus in Lyrophr.

Aniades *Oenótropæ*, ideſt viniferæ appellantur à Lycóphrone, & eius *Scholiaſte*. quas quidem Anij filias Agamemnon, exercitu fame laborante, accerſendas curauit, vt earum ope, ac virtute vteretur.

Heliades etiam dicuntur apud Græcos poëtas lecti inaurati; & ſumitur hæc vox pro orientali cæli parte. ἥλιος enim, vti docet *Etymologicum* Græcum, eſt & *Phœbus* poëtarum Deus; & Aſtrum, ſeu Planeta; & Aurora, & locus, vnde ſol naſcitur.

Heſtiades adiect; vt puellæ Heſtiades, vel virgo Héſtias, ideſt Veſtális: ita dicta ab ἑστία, quod eſt Veſta. Plutarch.

Iulias, ſeu *Iúlias* eſt Galilææ oppidum in *Iudæa*, quod Bethsáida dicebatur Iudæis. nomen autem videtur habuiſſe à Iulio Cæſare, vel in eius honorem. Ptolem.

Lechias adiect; vt ora *Lechias* (quæ & *Lechiaca*, & Lechæa appellatur) ideſt Polónia, ita dicta à Lecho primo eius conditore. v. *Lechítis*.

Lemnias flamma eſt ignis Lemniacus, ſeu Lemnæus, ſeu Lemnius, quaſi dicas Vulcanius: Vulcanus enim Lemnius fuit, & in ea inſula Lemno maximè colebatur.

Myrtias adiect; vt bacca myrtias, ideſt fructus myrti fruticis. vtitur eo tranſlator Nycandri in Theríacis.

Ophias dicitur Combe Ophij filia, quæ in auem mutata fuit, ne à centum filijs (tot enim pepererat) occideretur. hæc omnium prima æs in Eubœa inueniſſe fertur. Ouid. Metam. lib. 7.

Phagias adiect; vt rupes Phagias, ideſt mons Phagius ad Oceanum orientalem ſitus, & à fagis arboribus appellatus. de quo Lycophron ſic ait: Aurora quidem al-

tum Phagij iugum celeribus iam supervolabat Pégasi alis: hoc est surgebat iam aurora. ad huius montis radices sita est Cerne insula, quam nonnulli Hiberniam putant, & ιέρνην Strabónis. v. Cernéis.

Phalorias vrbs est Locridis, de qua meminit Lycophron; ita fortasse dicta à Phalóro quopiam homine.

Phœbas dicitur etiam Sibylla Cumæa, Nesûs, seu Nesônis filia, quam Melancræram appellat Lycophron à μέλαινα, idest nigra, & κραῖρα, idest caput: & intelligit eius mentem obscuram, ac veluti tenebrosam propter ambigua eius oracula.

Pleias, seu Pleiades dicti sunt septem poëtæ tragici eodē tempore florentes; dum scilicet regnaret Ptolemæus Philadelphus, quasi septem stellæ, quot Pleiades lucere solent. quorum nomina fuerunt Æantides, seu Æātiades, Alexāder, Dionysiades, seu Dionysides, Homerus iunior (fuit hic Myrûs, seu Myrônis poëtriæ Byzantínæ filius) Lycophron, Philiscus, Sosítheus. ita Hephæstiônis Scholiastes. ab alio autem eiusdem Scholiaste pro Dionysiade subrogatur Sosíphanes.

Achelois &c. vbi addo, quod à Parthénope in litus à mari eiecta, denominata est Parthenope vrbs, hodie Neapolis. Leucósia verò in Neptunium promontorium eiecta, insulā Leucosiam à suo nomine appellauit. Ligêa denique in Terínam vrbem Italiæ expulsa, ac exposita fuit. & Leucosia quidem producit secundam syllabam apud Lycophronem, à quo scribitur per ω. apud Ouid. verò eandem corripit.

Actoris dici potest Philomêla quædam Actoris Myrmídonis filia; mater Achillis, vt ait Daímachus, & Staphylus lib. 3. rerum Thessalicarum. quanquàm Thetidem

dem eius matrem dictitant poëtæ.

Actæonis, & Actæônis adiect; vt canes Actæonides; idest rabidæ, & feroces, quales illæ, quæ Actæônem dominum suum discerpserunt. Damocharis in Epigram. græcis lib. 3.

Ætólis à Lycóphrone appellatur Siren, sub nomine tamen Lusciniæ propter cantus dulcedinem: Sirenes enim Achelói fluuij filiæ fuerunt, qui inter Ætóliam, & Acarnániam fluit.

Alalcomeneis epith. Mineruæ, ita dictæ ab Alalcómene Bœóto, à quo Mineruam enutritam ferunt. Pausan. in Bœoticis, & eius index.

Amphaxîtis regio dicitur in Macedónia, ab Axio, siue Axo, qui est Macedoniæ fluuius, & ἀμφὶ, idest circum. vnde Amphaxítes dicitur qui circa Axium prædictum habitat.

Atreis dicitur Atrei filia, vel neptis, qualis fuit *Iphigenía* Agamémnonis filia, Atrei neptis. ita Palladius Fuscus in *Epithalamium* Catulli.

Bethulis (dactyl.) inuenitur apud Tortolettum lib. 1. poëmatis sui, cui titulus, Iuditha vindicata. producit enim idem auctor primam, & secundam syllabam in voce, Iudítha.

Carnîtis adiect; vt ora, seu terra Carnitis, idest *Phœníce*, *Asiæ* regio. Phœnices enim Carnítæ appellantur à Lycóphrone ex Carne Phœniciæ vrbe. Carnitis virgo, seu mulier, *idest Phœnissa*.

Cárpathis adiect; vt terra Carpathis, idest insula Cárpathus in mari mediterraneo inter Rhodum, & Cretam. Carpathis vnda, idest mare Carpathium iuxta hanc insulam. Carpathis rupes dici potest Cárpathes, seu Carpathus mons Sarmátiæ Europæ, seu *Polóniæ*. Musæ Carpathides, idest Polónæ.

Caſſandris inſcribitur tragœdia quædam Lycóphronis poëtæ Græci de Caſſandra, de qua meminit Suídas.

Cerneis adiect; vt rupes Cerceis, ideſt inſula Oceani (Oceanitis ideò dicta) vnde Sol videtur ſurgere: cuius meminit Lycophron.

Cimmeris Dea dicitur, Heſychio auctore, mater Deorum, ſeu bona Dea; forſan à Cimmerijs, qui *Aſiæ* olim interiora tenuerunt. Cybele autem Deorum mater Phrygia fuit genere, ac proinde Aſiatica.

Creſis dicitur malus punica apud Nicandrum; & intelligit ſpeciem quandam mali punicæ, quæ Promenêum appellatur à Prómeno quodam Cretenſi. Creſis terra eſt Cretæ inſula.

Drepanîtis etiam dici poſſet Corcyra (vulgò Corfù) vel Phæácia. quæ quidem Corcyra Drépanum etiam appellatur ab Apollonio, & Lycóphronis Scholiaſte: quia ibi defoſſa fuit falx, qua Iupiter Saturno patri, vel Saturnus Cælo pudenda deſecuit. δρέπανον quippe, ſeu δρέπανος vel δρεπάνη eſt græcè falx.

Hecatêis etiam dicitur Diana, ſeu Triuia, quæ Triformis, & à Lycophrone triceruix (ícis) appellatur ob triplicem cultum. in Cælo enim Luna: in terris Lucína, ſeu Diana; in inferis Hécate, ſeu Diana inferna, idem numen apud éthnicos erat.

Heraitis, & Heræitis adiect; vt terra Heraitis, ideſt ager Arcadicus iuxta *Heræam*, *Arcadiæ* oppidum, ad dexteram Alphéi fluminis ſitum, ab Heraéeo Lycáonis filio conditum, & denominatum: vbi Panis templum extitit.

Illyris etiam dicitur Epidaurus, Illyrici vrbs præcipua, hodie Ragúſa. ita etiam quælibet Illyrici vrbs per epithetum poſſet appellari. talis eſt Dalmátia, &c.

Imbraſis terra eſt Samos, inſula Iōniæ, Imbraſus etiam

appel-

appellata apud Stephanum.

Inopis adiect; vt vnda *Inôpis*, ideſt Inôpus fluuius, ſeu fons Deli, qui vnà cum Nilo, flantibus Eteſijs, incrementum accipit (vt & Clépſydra fons arcis *Atticæ*) vnde creditus eſt occultam ab illo originem ducere. Scholiaſtes Lycophr.

Lacmônis adiect; vt rupes, ſiue arx *Lacmônis*, ideſt Pindus mons Muſis ſacer: cuius vertex *Lacmóne* (es) ſeu Lacmónia nuncupatur. à quo Lacmonius dicitur Æas (antis) fluuius; ab ipſo monte oriens. Lycophron, & Scholiaſtes.

Leontis dicta eſt vna ex tribubus in Attica à Leonte quodam *Athenienſium* heróë.

Libanítis etiam eſt nomen proprium cuiuſdam Deæ apud *Lucianum*.

Libanôtis ſignificat etiam herbam, vulgò rosmarinum, quòd eius radix thus oleat: λίβανος enim græcè eſt thus.

Longátis dicta fuit *Minerua* à quodam Bœótiæ loco, qui Longas (adis) dicebatur, vt ait Cantérus in Lycophronem. niſi ſcribendum ſit *Lonchátis*, ideſt haſtata, ab eius haſta, quam gerebat. Longatis etiam ab eodē Lycophrone dicitur Hécate inferna Dea, cui templū in Sicilia Vlyſſes iuxta Pachynum erexit. nec mirum, ait Cantérus; ſolent enim aliquando poëtæ idem epithetum diuerſis Dijs attribuere.

Melitêis ora poteſt etiam appellari Mélita, inſula Illyrica in Adriatico mari propè Dalmátiam, aliàs Melituſca, ſeu Melitûſa. vbi aduerto, quod Melita, & Meliteis producere poteſt ſecundam ſyllabam; vt illam produxit Lycophron in Alexandra verſu iambico ſenario.

Ἄλλοι Μελίτην νῆσον Ὀθρωνοῦ πέλας.

Et Cantérus verſu Anacreontio:

Et inſulam Melítam.

Melítis

Melítis porta fortasse dicta est à Mélite, seu Melíte Atticæ vico, ac tribu.

Menelaitis appellatur apud Ptolemæum regio quædam Ægypti, in qua continentur Meneláus vrbs, & Canôpus eius regionis metrópolis. nomen autem habuit fortassis à Meneláo Rege, qui Hélenam vxorem quæsiturus, vel sacrificiorum causa, in Ægyptum contendit, vt ait Cantérus in Lycophronem, & Homerus.

Mopsopis adiect; vt ora Mopsopis, ideſt Attica, quæ etiã Mopsópia dicta est à Mópsopo, alijs Mopso Rege. vnde mel Mopsopium, ideſt Atticum, siue Hymettium. alij verò à Mopsopia Oceani filia, Athenienses Mopsopios dictos esse volunt.

Myonides dicuntur Musæ à Myónia Phocidis vrbe, vt putat Lilius Gyraldus: sed nulla quidem auctoritate.

Názaris adiect; vt ora Nazaris, ideſt Názareth vicus Galilææ iuxta montem Thabor, patria Beatæ Virginis. ita Pater Casilius Soc. Iesu in sua poësi sacra.

Neapolitis gentile fœmin; cuius masculin. est Neapolíta. Lycophr, in Alexan.

Neptûnis dicta est Orthósia quædam Amazon, quæ proprio nomine dicitur Antíope, aut iuxta Lycophr. Hippólyte: quam Théseus ex Themiscyra vrbe Paphlagóniæ rapuit, eiusque balteum Herculi dedit. Orthosia verò propriè dicitur Diana ab Orthosio Arcadiæ monte, vbi colebatur: & quia sagittaria fuit hæc Amazon, Dianæ cognomine insignitur.

Neptunides item appellãtur ab eodem Lycóphrone reliquæ Amázones, idque ab Hippolyte prædicta, ipsarum Regina, quæ Neptunis vocabatur, vtpote Neptuni filia.

Pachynis adiect; vt rupes, vel petra Pachynis, ideſt Pa-

chynus

chynus vnum ex tribus Siciliæ promontorijs (vulgò Capo Páſſaro) cuius pars quædam, quæ antea Sacra dicebatur, ab Vlyſſe denominata fuit Vlyſséum promontorium. Lycophr. Scholiaſtes.

Pelaſgis etiam iuxta Plinium dicta fuit olim Arcadia (Pelaſgus enim fuit primus Arcadiæ Rex) quæ antea Drymôdis eodem auctore appellabatur, ideſt ſiluoſa.

Phalacreis adiect; vt Phalacreis ſilua, pinus; vel nauis, puppis, &c. Phálacra enim eſt promontorium Idæ, ex cuius arboribus naues Páridis in Græciã traiecturi (vbi Hélenam rapuit) fabricatæ erant: quas idcirco Lycophron Phalacræas filias appellat. quatuor autem ſunt Idæ Phrygiæ promontoria, nimirum Phálacra, Lectum, Gárgarum, ſeu Gárgarus; Pérgamum, ſeu Pergamus. Lycophr. Scholiaſtes.

Pharaitis nomen gentile fœmin. (cuius maſc. eſt Pharaíta) ideſt ciuis quælibet Phararum, ſeu Pherarum in Meſsénia, tres enim Pharæ, ſeu Pheræ memorantur præcipuę à Stephano; Bœóticæ, quarum ciuis Phares (êtis) Achäicæ, ciuis Pharaéeus, ſeu Pharæenſis; & Meſſeníacæ, ciuis Pharaíta, ſeu Pharaites, fœm. Pharaitis.

Priamis, ſeu Priamêis etiam dicitur Laódice, Polyxenæ ſoror, quæ captâ Troia, hoſtium iram metuens, vltrò ſe de rupe præcipitem dedit.

Pylætis dicta eſt Minerua, ideſt iánitrix (πύλαι apud Græcos dicuntur portæ) in portis enim vrbium, & ædium eam pingebant (vti Martem in ſuburbijs) ſignificantes debere intra illas Deam conſilij, & Sapientiæ reſidêre, vt optimè gubernarentur: foris autem regnare Martem opus eſſe.

Pſamatheis adiect; vt terra, vel ora Pſamatheis (aliàs Pſamatheïa) ideſt Psámathe vrbs, & mons. vnda Pſamatheis

matheis, idest Psamathe fons apud Thebas. vtitur Nicander in Theriacis, vbi Psamatheidas appellat sidas, idest malos punicas, quia forsan iuxta hunc fontẽ optimæ prouenirent huiusmodi arbores.

Seleucis item dicitur Syriæ regio à Seleuco Syriæ Rege. Ptolemæus.

Sithônis penultimâ lõga proferri potest: nam Sithon (ônis, vnde Sithônes, idest Thraces) Martis filius, Thracum Rex fuit. cui ex Achíroë nata est Palléne (à qua dicitur Pallene Thraciæ vrbs) & Rhœtêa (à qua Rhœtêum Troiæ promontorium) quarum quælibet Sithónis posset appellari. Lycophron enim in Alex. versu iambico sic ait.

Σιθῶνος εἰς θυγατρὸς ἵξονται γύας.

Sicut igitur Sidónis, & Sídonis; ita, Sithónis, & Síthonis poëticè per patronymicum efferri posset.

Síthonis item dicitur Arne puella, quæ cum insulam Sithon (vt ait Lactantius) in qua genita esset, hosti Athenas oppugnanti, capta pulcritudine auri, vendidisset; ne pro meritis supplicia pénderet in auem monedulam (*Italicè* Cornacchia, Siculis Ciáula) mutata fuit: quæ adhuc monetæ, aurique splendore tenetur. Ouid. *Metam.* 7.

——— quamque impia prodidit Arne
Sithonis, accepto, quod auara pc poscerat, auro.

verùm Farnabius Micyllo adhærens, putat sic etiam corrigendum carmen:

——— quanquàm impia prodidit Arne
Cythnon (alijs, Sithon) & accepto, &c.

˘ ‒ ˘
Thronitis adiect; vt ora, seu terra Thronitis, idest Thrónium Lócridis oppidum, de quo meminit Lycophron. mulier Thronitis, idest ibi nata.

FINIS.

INDEX
PRAECIPVORVM NOMINVM,
qųę per patronymica redduntur
Mascul.

Astyanax, Hectórides.
Atlas homo, Iapetiónides.
Athenienses, Ægídæ, Cecrópidæ, Códridæ, Mopsópidæ, Thesídæ.
Atreus, Pelópides, Tantálides.
Atys, Berentiades.
D. Augustinus, Patritiades.
Augustiniani, Augustiniadæ.
Augustus Cæsar, Æneades.
Auson, Vlyssiades.

Bálaam, Beórides.
Balac, Sephórides.
D. Baptista, v. Ioannes.
Bellérophon, Abantiades, Æólides
Belus, Chamiades.
Beniamin, Isacides.
Beséleel, Vriades.
Bethleemítæ, Bethlemiadæ.
Bias sapiens, Teutámides.
Bœotij, Aónidæ.
Briáreus, Vranides.

Caath, Leuiades.
Cadmus, Agenórides.
Cælus, seu Cælum, Acmónides.
Cain, Adamides.
Cálais, Boréades.
Caleb, Iephónides.
Calchas, Thestórides.
Callimachus, Battiades.
Cambyses, Achæménides, Persídes.
Candaules, Myrsiades.
Capys, Dardánides.
Carmelitani, Eliadæ.
Carolus V. & II. Austriades.
Castor, Tyndárides.
D. Casimirus, Iagelonides, in appen
Catónes, Porciadæ.
Cecrops minor, Erechthídes, Pandiónides.
Centauri, Ixiónidæ.
Cêpheus, Iásides.
Céreris Sacerdotes, Eumólpidæ.
Cham, Noémides.
Chiron, Crónides, Philyrides.
Choroebus, Mygdónides.
Christus Dominus, Dauidiades; Iessiades.
Christiani, Christiadæ.
Codrus, Cecrópides, Melánthides,
Core, Isarides.
Corinthij, Cypsélidæ.
Corinthiorum Reges, Æolidæ; Sisyphidæ.
Corybantes, Dactylidæ.
Croesus, Halyattiades.
Crétheus, seu Crítheus, Æolides.
Crotoniatæ, Thespiadum nepotes.
Curétes, Dactylidæ.
Cyrenenses, Battiadæ.
Cyrus, Achæménides, Cambysiades.

Daedalus, Erechthídes, Palamaónides.
Dánaus, Belídes, Iásides.
Dárdanus, Atlantiades.
Dauid, Iesseides, Isaides, Isacides.
Deiphobus, Priámides.
Delphici vates, Apóllonidæ, Latóidæ.
Demóphoon, Cecrópides, Thesídes.
Demósthenes, Demosthénides.
Deucálion, Epimethídes, Promethídes
Diomédes, Oenídes, Tydídes.
Dionysius tyrann. Hermocrátides.
Domitianus Imp; Vespasianídes.

Iesus, seu Ecclesiasticus, Sirâchides.
Ilus, à quo Ilion, Dardánides.
Ioab, Saruiades.
Ioah, Zemmiades.
Io. Baptista, Abiades, Zacharides.
Ioláus, Iphiclides.
Ionas, Amathiades.
Iónathas, Sauliades.
Ionius, Hadriades.
D. Ioseph, Dauidiades, Heliades, Leuiades, Mathiades.
Ioseph Ægypti Prorex, Isacides.
Iosuë, Ephráides.
Iphitus, Eurytides.
Irus pauperrimus, Actórides.
Isaac, Abrámides.
Isaias, Amósides.
Ismaël, Abrámides, Agárides.
Israëlitæ, Beniámidæ, Ephráidæ.
Issachar, Isacides.
Itali, Ausónidæ, Itálidæ.
Itys, Dauliades, Terides.
Iubal, Laméchides.
Iudas Iacobi filius, Isacides.
Iulus, Æneides.
Iupiter, Crónides, Saturnides.

Lábdacus, Abantiades, Agenórides.
Lacedæmonij, Ægidæ, Eurysthénidæ.
Lacônes, Patroclidæ, Tænáridæ.
Lamech, Mathusálides.
Laómedon, Dardánides, Iliades.
Lápithæ, Periphantiadæ.
Latini, Aboriginidę, Æneadę.
Latinus Rex, Vlyssiades.
Leo signum cęleste, Solstítides.
Leopoldus Imp; Austriades.
Leui, Isacides.
Linus musicus, Ináchides.
Líparus Rex, Ausónides.
Liuius hist; Antenórides.
Lot, Araniades.
Ludouicus XIV. Gallię Rex, Borbonides.
Lusitani, Lusiadæ.
Lycurgus, Dryantiades, Penthides.
Lydiæ pop; Mæónidę.
Lynceus perspicax, Aphárides.
Lynceus alter, Belides.

Macédones, Emathioniadæ.
Machaon, Asclepiades.
Mantuani, Bianóridę, Minciadę.
D. Marcus Euang; Larides.
Mardochęus, Iaírides.
Mathúsalem, Enóchides.
Medi pop; Arsácidæ.
Medici, Asclepiadæ.
Mèlampus vir, Amythaónides, Æolides.
Meléager, Oenides, Thestiades.
Melicerta, Athamantiades.
C. Memmius, Memmiades.
Memnon Rex, Tithónides.
Menelâus, Atrides, Plisthénides, Tantálides.
Menætius, Actórides.
Mèrari, Leuiades.
Mercurius, Atlantiades, Cyllénides.
Messeniorum Reges, Æpytidæ.
Midas, Gordiades.
Minyas, Æólides.
Minos Rex, Asterides, vel Asterionides.
Misênus, Æolides.
Moab, Lotiades.
Molossus, Pyrrhides.
Mopsus, Ampycides, Apollónides.
Moses, Amrámides, Isacides, Leuiades.

Pŏemo, Philostratides,
Pollux, Tyndarides.
Poloni, Lechiadæ.
Polygnotus pictor, Aglaophontiades.
Polyphemus, Elatides.
Portunnus v. Palæmon.
Priamus, Dardanides, Laomedontiades.
Priapus, Lampsacides.
Proetus, Abantiades, Danaides.
Prometheus, Iapetides.
Protesilaus, Iphiclides, Phylacides.
Ptolemæus Ægypti Rex, Lagides.
Pygmalion, Belides.
Pyracmon, Acmonides.
Pyrrhus Achillis fil; Achillides, Æacides.
Pyrrhus Epirot. Rex, Æacides.
Pythagoras, Mnesarchides, Panthoides.

Remus, Iliades,
Rhadamanthus, Agenorides.
Rhodij, Amyntoridæ, Tlepolemidę
Roboam, Salomoniades.
Romani, Æneadæ, Romulidæ.
Romulus, Iliades.
Ruben, Isacides.
Rufus Gellius, Thembiades.

Salomon, Dauidiades.
Salmoneus, Æolides.
Samson, Manoades.
Sarpedon, Bellerophontiades.
Saturnus, Vranides.
Satyri, Deucalidæ.
Saul, Cisides Beniamides.
Saulus, qui postea Paulus, Beniamides.

Scipiones Africani, Scipiadæ.
Scythæ pop; Borysthenidæ, Caspiadæ.
Sem, Noëmides.
Sestij pop; Sestiadæ.
Seth, Adamides.
Siculi, Agathoclidæ, Cocalidæ, Elisiadæ.
Sichem, Hemmoides.
Siluius, Ænides, vel Æneides.
Simeon, Isacides.
Sinon, Æsimides.
Sisais gigas, Enacides.
Sisyphus, Æolides.
Sol, Hyperionides.
Stoici, Stoicidæ.
Syracusani, Arethusidæ, Bacchiadũ nepotes, Agathoclidæ.

Tarentini pop; Phalantiadæ.
Telamon, Æacides.
Telegonus, Vlyssiades.
Teucer Rex, Scamandrides.
Teucer alter, Telamoniades.
Thare, Nachorides.
Thebani pop; Agenoridę, Amphionidæ, Echionidæ, Ismenidæ, Oedipodionidæ, Ogygidæ.
Themistocles, Neoclides.
Theocritus, Simichides.
Thersites, Agriades.
Thessali pop; Æmonidæ, Atracidæ, Deucalidæ, Phtijadæ, Thessalidæ.
Theseus, Ægides, Cecropides, Erechthides.
Thespienses pop; Thespiadæ.
Thestius, Agenorides,
Thraces pop; Ismaridæ, Strymonidæ.

Thye-

Thyeſtes, Tantálides, Pelópides.
Tiphys, Agniades, Thespiades.
Tirésias, Euerides.
Titan, Vránides.
Tithónus, Laomedontiades.
Tityus, Elárides.
Titus Imper; Vespaſianides,
Titus Liuius, Antenórides.
Tribus Aſer, Aſeréidæ.
Tribus Béniamin, Beniámidæ.
Tribus Dan, Daniadæ.
Tribus Ephraim, Ephraidæ.
Tribus Leui, Leuiadæ.
Tribus Néphthali, Nephthálidæ.
Tribus Ægéidis, Bútadæ.
Tribus Æginæ, Blepsiadæ.
Tribus Dædali, Dædálidæ.
Tribus Ptolemaidis, Berenícidæ.
Tribus Thebæa, Ægídæ, in append.
Troiani, Æneadæ, Anchiſiadæ, Dardanidæ, Hectóridæ, Iliadæ, Laomedontiadæ, Priamidæ, Teucriadæ.
Tros, Dardanides.
Tubálcaim, Lamechides.
Tydeus, Oenídes.
Typhóeus, ſeu Typhon gigas, Tartarides.

Vladislaus IV. Polon. Rex, Iagelonides, in appen.
Virgilius Maro, Minciades.
Vlyſſes, Æolides, Sisyphides.

D. Xauerius, Xaueriades, vel Saberiades.
Xenócrates, Agathenórides.
Xerxes, Darídes.

Zábulon, Iſacides.
Zambris, Salüuiades.
Zámbua, Zechúrides.
Zetes, Boreades.
Zethus, Aſopiades.



INDEX
FOEMINARVM, LOCORVM, AQVARVM, tribuum, &c. quæ patronymicis hîc appellantur
FOEMIN.

An-

Aurora, Pallantias, Pallantis, Tithônis.

Babylónica mulier, Babylônis.
Baccha mulier, Bacchis, Báſſaris, Edónis, Eleléis, Euhyas, Lenis, Mænas, Mimállonis, Strymonis, Thyas.
Bacchi nutrices, Dodonides, Nyſiades, Nyſeides.
Bálſamum, v. Engaddias, Engaddis, ſeu éngadis.
Baliſta, Phôcais.
Bethleem, v. Ephratéis, Hebrônis.
Bethlémica mulier, Bethlemias, Bethléis, Bethlemîtis.
Bethúlica mulier, Bethûlis.
Bithynia, Bithynis.
Bæotiá regio, Bœótis, Cadméis, Cephiſias, Chærônis, Hyantis, Minyas.
Briséis, Lyrneſſis.
Britannicæ inſulæ, Brettanides, ſeu Britannides.
Buxus planta, Cytôris.
Byzantium, v. Bóſphoris.
Byzantína mul; Byzantis.

Caducéus, v. Cyllénis.
Calábria regio, Cálabris, Daunias.
Calliſto, v. Vrſa maior.
Calypſó, Atlantias, Atlantis, Oceanis.
Cándia inſula, Oaxis.
Canes Scythicæ, Calpiades.
Canes venaticæ, Actæonides, Caſtorides, Chaonides, Molottides. Menelaides.
Canopica mulier, Thonítis.
Caphâreus promont. v. Cáphatis.
Capra, Cynthias, Tegeatis.
Cáralis vrbs, Caralitis.
Caria regio, Caris.
Carica mulier, Búbaſis, Cariatis, Lelegéis.
Cárpathus ins; Carpathis, in appen.
Caſſandra, Dárdanis, Phœbas, Triaméis.
Caſtália nympha, Achélois.
Catanenſis fœmina, Neſſias.
Centaurorum pugna, Centaurias.
Cephalœdium, v. Cephalœdias.
Ceres, Iaſióne, Amphictyonis. Pelaſgis.
Certamen Olympiacum, v. Piſátis.
Chánaan regio, Chananæis.
Chananæa mulier, Chananítis.
Chaónia, Moloſſis.
Chimæra, monſtrum Typhónis.
Chloris, Zephyrítis.
Cicada, Tithonias.
Cicónia, Laomedontias.
Circe, Æætis, Hélias, Titánis.
Cithara Lesbia, Aſiátis.
Citrus, Adonias, Cleattias, Medis;
Cleópatra, Ptolemæis.
Clytæmneſtra, Tyndaris.
Cœna lauta, Sybaritis.
Cólchica mulier, Colchis, Cytéis, Scythis.
Columba, Cháonis, Cythéris, Cythereïas, Eſsénis,
Concha marina, Cythétis, Pelóris.
Concordia Dea, Appias.
Conſtantinopolitana mul; Byzantis.
Coríthus Bacchéis, Ephyreïas, Ephyréis, Iſthmias, Pirénis, Síſyphis.
Corinthia mulier, Ephyreias, Pirétis
Coralium, v. Erythrias.
Corcyra, Drepanitis, Hylléis, Phæácis.

Cor-

Coronix, Corónis.
Có sica insula, Corsis.
Cos ins; Meropéis.
Cosbis mul; Surias.
Cotonea malus, Cydonias.
Creta, Corybantis, Curétis, Gortynis, Minôis.
Cretensis mulier, Amnísis, Amnisias, Cresis, Cretis, Gnosias, Gnosis, Gortynis, Phæstias, Phócais.
Creûsa, Æneæ vxor. Erechthis, Priaméis.
Creusa, aliàs Glauca, Creontis.
Cupressus, Alcmæonias, Alcmaéonis, Cyparisséis.
Cybele, Asias, Dindyméne.
Cycnus ales, v. Cycnéis.
Cyprus ins; Acamantis, Cerastis.
Cyréne nympha, & vrbs, Hypséis.

Dalmátia, Dálmatis, Illyris in appen.
Dálida puella, Thamnáthis.
Dánaë, Acrisionéis, Acrisióne.
Daphne, Apollonias, Ladonias, Ladónis, Penéis, Théssalis, Tempis.
Debora, Lapidóthis.
Deïaníra, Calydônis, Oenéis.
Deiphile, Adrastis, Adrastíne.
Deidamía, Lycomedias, Scyrias.
Delos, Asteris, Delias.
Diana, Cindyas, Cynthias, Delias, Fáscelis, seu Fascelitis, Hecatéis, Latoïas, Latóis, Mænalis, Titánis
Dido, Belias, Belis, Sidonis, & Sidônis.
Dirce, Isménis.
Dorica mul; Doris.

Drépanum Vrbs, Drepanéis, Drepanitis.
Dyrrhachium, v. Dyrrhachis.

Elaira, Leucippis.
Eléa mulier, Eléis.
Electra fœmina, Atlantis, Pleias.
Elis regio, Elias, Triphylis.
Elisa, Sidonis.
Ennij poësis, Rudias.
Epidaurus, seu Ragûsa, Illyris in appen.
Epírus, Chaonis, Thesprótis.
Epirótica mulier, Pyrrhias.
Equæ certaminis Olympici, Eliades.
Ericûsa ins; Hephæstias.
Erígone, Icaris.
Etrúria, Tyrrhénis.
Euadne, Iphias.
Eubœa, Abantias, Abantis, Asôpis Asteriónis, Macréis.
Euippe, Paéonis.
Europa, Agénoris, Sidonis.

Fagus, Dodónis.
Fauonius ventus, v. Zephyrítis.
Flora, Zephyrítis.
Fœminæ vaticinantes, Peleades.
Fœminæ illustres, Heroides, & Heroínæ.

Fluuiorum nomina.

Achelóus, v. Áchelois.
Acheron, v. Acherontis.
Aléfus, v. Aléfis.
Alyssus, v. Alyssias.
Amphrysus, v. Amphrysias.
Aniger, v. Anigriades.
Cephísus, v. Cephisis.
Chesius, v. Chesiades.

Cocytus, v. Cocytis.
Ergin[illegible]us, v. Sarpédonis.
Euphrátes, v. Euphratis.
Eurótas, v. Eurotias, Eurotis.
Ganges, v. Cangétis.
Glotta, v Glottias.
Hilissus, v. Hilissias.
Hydaspes, v. Hydaspias.
Ilissus, v. Ilissis.
Inachus, v. Inachis.
Ismênus, v. Ismenis.
Macra, v. Macrias.
Marsyas, v. Marsyades.
Mæander, v. Mæandris.
Menus, v. Menis.
Mincius, v. Mincias.
Nilus, v. Nilias, Nilis.
Orêtus, v. Oretias, Orétis.
Orontes, v. Orontias, Orontis.
Pactólus, v. Pactolis.
Penêus, v. Peneis.
Permessus, v. Permessis.
Phlégethon, v. Phlegethontis.
Sangarius, v. Sagaritis.
Sebéthus, v. Sebethis.
Selemnus, v. Selemnis.
Serius, v. Serias.
Símois, v. Simoëntias.
Sperchíus, v. Sperchías.
Symæthus, v. Symethis.
Tagus, v. Tagis.
Támesis, v. Tameséis.
Taras, v Tarantias, Tárantis.
Thermôdon, v Thermodontias.
Tiberis, v Tiberínis, Tiberias.

Fontium nomina.

Aganippe, v. Aganippis, Permessis.
Alyssus, v. Alyssias, Alyssis.
Aoniæ fons, v. Aonis.
Arethûsa, v. Arethusias, Arethu Alpheïas.
Biblis, v. Biblías.
Castalius, v. Cástalis:
Dirce, v. Isménis.
Hippocréne, v. Aganippis Helicónis, Hyantis.
Hypetia, v. Hypetéis.
Libéthra, v Libethrides.
Messéniæ fons, v. Dionysias.
Milesius, v. Biblias.
Palicínus fons, vulgò Naphthia; v. Menáis.
Papyritus, v. Papyrias, Dapyris.
Pimplæus, v. Pimpléis.
Pirêne, v. Pirenis.
Stymphálus, v. Stymphális.
Fortuna, Antias.
Furiæ, Acheronides, Acherontiades, Eumenides, Plutonides, Phlegethontides.

Gálaad, Galaadítis.
Galatêa, Nèreis, Nerîne, Nereine.
Galilæa mul; Galilæis.
Gallina Indica, Meléagris.
Gaulus ins; v. Gaulitis.
Gemini signum cæleste, v. Dioscorias.
Gemma Indica, Gangêtis, Garamantis.
Gigantum pugna cum Ioue, v. Pallénis.
Gomorrha, Asphaltis.
Górgones, Phorcides, Phorcynides.
Græcia, Achâis, Hellas, Panachæis.
Græca mul; Argolis, Hellénis, Pelasgias, Pelasgis, Pyrrhias.

Harpe Mercurij, Cyllenias, Cyllénis.
Harpyiæ, Typhónides.
Hasta Achillis, Pelias.
Hebe Dea iuuentutis, Phliuntis.
Hebrææ mulieres, Saraides.
Hécate venefica, Perséis.
Hecuba, Cisséis, Dymantis.
Hedera, Dionysias.
Hélena. Dendrítis, Meneláis, Oébalis, Rhamnûsis, Tyndaris Tyndareóne.
Helle, Athamantias, Athamantis, Cretheis, Nepheleias, Nepheleis.
Hellespontus, v. Hellespontis.
Herba magica, Prometheis, Titánis.
Herba venenifera, Circéis, Medéis.
Hermione, Menelais.
Hero puella, Sestias.
Hesione, Laomedontias.
Hiéricho, v. Hierichuntis.
Hippodamia, Briséis, Lyrnessis.
Hirundo, Atthis, Bistonis, Daulias.
Hispánia, Tartessias, Tartessis, Ibéris.
Hispána mulier, Ibéris.
Homérica poësis, v. Homérides, seu Mæónides musæ.
Horæ, Phoébades.
Horatij Lyrica, Daunias, Venusias.
Hus regio, Ausitis, Husitis.
Hybla oppidum, Galeotis, Trinacris.
Hydra mōstrum, v. Pirantias, Argolis.
Hypermnestra, Belias, Dánais.
Hypsipyle, Lemnias, Thoantias,
Hyrcánia, Hyrcánis.

Idumêa, Amalecítis, Gobolítis.
Iëricho, v. Hiericho.
Iesusálem, v. Solymitis.
Ierosolymitana mul; Solymitis.
Ilione, Priaméis.
Illyricum, v. Illyris.
Indica mulier, Garamantis.
Ino, Cadméis.

Insulæ.

Ins. Acarnániæ, Echinades.
Ins. Adriatici maris, Absorides, Brygeides, Absyrtides, Liburnides.
Ins. Æoliæ, Hephæstiades.
Ins. Atlantici maris, Hesperides, Cassiterides, Oestrumnides.
Ins. Baleares, Balearides, Gymnesides.
Ins. circa Cretam, Dionysias.
Ins. Cyáneæ, Symplegades.
Ins. Euboici maris, Lichades.
Ins. iuxta Erídanum, Electrides.
Ins. iuxta Ligúriam, Ligystides.
Ins. iuxta Pontum, Philyréis.
Ins. Martis, Aretias.
Ins. Oceani, Oceanitides, Satyrides.
Ins. Vulcaniæ, Vulcanides.
Iö, Inachis, Inachióne, Phoronis.
Iocasta, Creontis.
Iöle, Eurytis.
Iönia regio, Iáonis, Iónis.
Iphigenia, Mycénis, Atréis.
Iphianassa, Prœtis.
Iphis, Iéphthias.
Iris, Thaumantias, Thaumantis.
Isáuria, Isauris.
Ischia, v. Oenotrides.
Ischómache, Atracéis.
Isis, Bubastis.
Isthmiorum certamen Isthmias.

Itália, Aúsonis, Italis, Oenôtris.
Itala fœmina Ausonis, Italis, Italiótis, Oenótris.
Iudæa, Isacis.
Index Iuditha Métaris, Bethúlis, alias Béthulis.
Iuno, Curitis, seu Quiritis, Imbrasis Lacinias.

Lacæna mulier, Lacônis, Oébalis.
Lacónia regio, Lacônis, Taénaris.
Lacónicæ columnæ, Cariatides.
Lacuum nomina.
Lacus in Ægypto, Mareôtis.
Lacus Bistóniæ, Bistonis.
Bæotiæ, Leucônis, Cópais.
Iudææ, Asphaltis.
Galilææ, Cenerêthis, Tiberias.
Libyæ, Tritônis.
Mauritániæ, Nilis.
Thessáliæ, Bœbêis.
Lais pellex, Hyccaris.
Lana Milesia, Milétis.
Laodamía mater Sarpédonis, Bellerophontias.
Laodamia Protesilái vxor, Acastis, Haémonis.
Lara, seu Larunda, Tiberióne.
Lasciuia, v. Priápis.
Latóna, Cœcéis, Titanis,
Laurus, Ladonias, Ladônis, Parnassis, Penéis, Permessis, Phœbas, Tempis.
Leda, Thestias.
Lemnos, Vulcánis, Sintias, Sintéis.
Lemniæ mulieres, Lemniades.
Leontínum, v. Xuthias.
Lesbia mulier, Lesbias, Lesbis, Methymnias, Mitylénis.
Lesbos ins; Lesbis.

Lia, Labánis.
Libya, Libystis.
Líbyca mulier, Asbystis, Libystias, Libystis.
Ligúria, Ligystias.
Lilybæum, v. Lilybéis, Lilybætis.
Lipara ins; Hephæstias.
D. Lucia, Arethûsis.
Luna, Latóis, Titanias, Titánis.
Luscinia, Atthis, Daulias.
Lyra Musarum, Aonis.

Macedónia, Emathis, Macédonis.
Madianítis, Madianias.
Maga, Cytéis, Haémonis, Thessalis.
D. Magdalena, Mágdalis.
Magnésia, Magnésis.
Mahometana secta, Mahométis.
Maia, Atlantis, Pleias.
Mánia, Tiberióne.
Mantuana mulier, Mantóis.
Márium nomina.
Mare Adriaticum, v. Adrias.
Carpathium, v. Cárpathis, in appẽ.
Caspium, v. Caspias, Hyrcánis.
Corinthiacum, v. Isthmias, Saróni.
Erythræum, v. Erythrias, Erythréi.
Ionium, v. Ionias.
Rubrum, v. Erythræum.
Thracium, v. Pallénis.
Tiberiadis, v. Cenerethis.
Tyrrhénum, v. Tyrrhenis, Tyrsénis, Liburnis.
Maria Deipara, Iesséis, Iéssias, Ioachímis.
Maria soror Mosis, Amramis, Iacobéthis.
Marmor nobile, v. Téntelis.
Marpissa, Euenine.
Mauritania, Maurusias, Maurúsis, Atlantias.

Mauritana mulier, Mauris.
Medéa, Æetías Æétis, Æetine Colchéis, Colchis, Cytéis, Phasías, Phasis.
Média regio, Medis.
Medicinæ ars, Asclepias.
Medúsa, Phorcis, Phorcynis.
Mégara fœm; Creontis.
Magarensis mulier, Megaréis.
Mélita, v. Melitéis.
Memnonis aues, Memnonides.
Menthe puella, & herba, Cocytis.
Mercurij harpe, seu machæra, Adamantis, Cyllenias, Cyllénis.
Messána vrbs, Messánis; Pelorias, Zanclias, Zanclis, Zancléis.
Messanensis mul; Messánis, Zancleis
Metra, Otyopéis, Triopéis.
Michor Dauidis vxor, Saûlis.
Minerua, v. Pallas.
Minerua altera, Saítis.
Mnemósyne, Vranis.
Moab regio, Moabitis.
Moly herba antídotum, Pheneátis.

Montium nomina.

Ætna, Sicánis, Sícanis, Trínacris, Typhóis.
Alpes, v. Cottiades.
Apenninus, v. Macriades.
Athos, v. Athoïas, Athôis.
Atlas, v. Atlantias, Atlantis.
Berecynthus, v. Berecynthis.
Béthleem, v. Bethlemias, Bethléis.
Carmêlus, v. Carmelis.
Caspius, v. Caspíades.
Cáucasus. v. Caucasis.
Githæron, v. Cichæronias, Cithæronides.
Cybelus, v. Cybeléis, Cybelis.
Cynthus, v. Cynthias.
Engaddi, v. Engaddis.
Ercta, seu mons Peregrinus, v. Erctéis.
Grampius, v. Grampiades.
Halesius, v. Halésis.
Hélicon, v. Helicônis.
Hybla, v. Sicánis, Trínacris.
Hymettus, v. Hymettias, Hymettis.
Ida Cretæ, v. Corybantis.
Ida Phrygiæ, v. Corybantis, Teucris
Idalus, v. Idalis.
Latmos, v. Latmias.
Líbanus, v. Libanéis, Libanítis.
Libéthra, seu Liberhrius, v. Libethrias, Libethrides.
Márathon. v. Marathônis.
Oeta, v. Oetéis.
Parnassus, v. Parnassis, Hyantis.
Pelion, v. Chirónis.
Pimpla, v. Pimpléis.

Musæ.

Aganippides, Aonides, Ardalides, Castalides, Corycides, Cythæriades, Cythæroniades, Heliconides, Heliconiades, Hippocrenides, Ilissiades, Libethrides, Olympiades, Parnassides, Parnassiades, Pegasides, Permessides, Pierides, Pimpleides, Thespiades.
Arcadicæ, Erymanthiades.
Britannicæ, Grampiades.
Bucolicæ, Sicelides, à Teocrito Siculo.
Calabræ, Appulides, Rudiades, ab Ennio Rudio.
Comicæ, Menandrides, à Menandro
Elegæ, seu elegiacæ, Battiades, à Callimacho Batti postero. Vmbriades, à Propertio Vmbro. Sulmonides, ab Ouidio Sulmonensi.

Epicæ

Epicæ, seu carminis heroici, Bistonides ab Orpheo Thrace. Homerides, seu Mæonides ab Homéro. *Minciades*, à Virgilio *Mantuano*.
Etruscæ, Tyrrhenides.
Gallicæ, Sequanides.
Germanicæ, Vistulides, à Vistula flum.
Hispanicæ, Iberides, Tartessiades,
Italæ, Italides.
Lyricæ, Æolides, *Lesbiades*, seu *Lesbides*, à Sappho, & Alcæo. *Pindarides* à *Píndaro*.
Neapolitanæ, Nesiades, Craterides.
Obscœnæ, Falcenniades.
Panormitanæ, Oretides, Oretiades.
Polonicæ, Carpathides, in appen.
Sacræ, Olympiades, *Sionides*, à *Dauíde* psallente in Sion.
Scoticæ, Glottiades.
Siculæ, Sicelides, Siceliotides.
Tragicæ, Sophocleides, seu Sophocliades.
Mycenæ vrbs, v. *Pelopeïas*.
Myrrha fæm, Cinyréis, Orontis.
Myrrha frutex, Orontis.
Myrtus Amathûsis, Cythéris, Eurôtis, *Eurotias*.
Mysia regio, *Mysis*.

---

*N*axos ins. Dionysias.
Naxia mulier, Naxias.
Názareth, Nazaris, Galilæis.
Neapolis, Eúbois.
Némeorum ludus, v. Némeas.
Némesis, Rhamnûsis.
Níobe, *Tántalis*.
Nix, Alpinis, Síthonis.
Noctuæ aues, Nyctéides.
Numídia, *Metagonitis*.

Nymphæ
Agrorum, *Agriades*.
Aquarum, Acheloides, Ephydriades, Hydriades, Oceanitides.
Aquarum in Attica, Sithnides.
Arborum pomiferarum, Epimeliades, Epimélides.
Flammarum, *Pyrsanides*.
Florum, v. Pratorum.
Fluminum, Naiades, seu Naïades, Naides, Potameides.
Fontium, Creniades, Crénides, *Pegasides*.
Fraxinorum, *Meliades*.
Maris, Oceanitides, Neptunides, Nereides.
Meliæ Insulæ, *Meliades*.
Montis Rosarum in Sicilia, Goniades.
Montium, Oreades, Orestiades.
Nemorum, seu siluarum, Dryades, Hamadryades, Hadryades, seu Napææ.
Palmarum, *Palmitides*.
Pratorum, Limoniades.
Romanæ, Tiberiades.
Samiæ, *Mycalesides*.
Stagnorum, seu lacuum *Limniades*, *Limnatides*.
Saltuum, Alseides, Napææ.
Threissæ, Bistonides.
Oenone ins. Aéacis.
Olea arbor, & fructus, Athénais.
Olympiorum ludus, v. Olympias.
Omphále, Iárdanis, *Maéonis*.
Orchómenus vrbs, Andréis, *Phlegyantis*.
Orithyia, *Atthis*, *Actias*, Erechthis, *Eumolpis*.
Orphei musa, seu lyra, Bistonis, Odrysias.

Oſtrea piſcis, v. Pelóris.
Pachynus, v. Pachynis, in appen.
Palæſtina, Chananitis.
Pallas, Appias, Itonias, Itónis, Ilias, Tritônis.
Palma, Elsénis.

Paludes.

Palus Acherúſia, Acherûſis.
Ægypti, Thonítis.
Africæ, Tritónis.
Arméniæ, Lychnítis.
Bœótiæ, Cephiſis.
Hiſpaniæ, Seibônis.
Magnéſiæ, Bœbias.
Palus Stygia, Stygias, Acheróis.
Paphus vrbs, v. Paphis.
Pamphylia, Pamphylis.
Panis, Dei ficti, fiſtula, Panias.
Panormitana mul; Oretias, Panormitis.
Panormus, v. Oretis, Oretias, Panormítis.
Pannónia, Pánnonis.
Panthéra, Hyrcánis.
Paſiphaë, Helias.
Paſithoë, Dodónis.
Pax ficta Dea, Appias.
Peloponnéſus, Pelopéis, Argolis.
Polórus, Pelorias, Pelotis.
Penélope Icaris, Icariótis, Icarióne.
Penthefiléa, Mæótis.
Perſica mulier, Perſis.
Phæácia, Phæácis, Hylléis.
Phaëthontis ſorores, Clymeneides, Electrides, Heliades, Phaëthontiades, Phaëthontides.
Pharsálica mulier, Pharsális.
Philoctétæ ſagittæ, Pæantiades.
Philoméla, Atthis, Cécropis, Dauſias, Daulis, Pandíonis.
Philyra, Oceanitis.
Phænicia, Carnitis.
Phœnicûſa inſ; Hephæſtias.
Phœnix auis, v. Gangétis.
Phrygia minor, Troas.
Phrygiæ mulieres, Mygdonides.
Phyllis puella, Síthonis.
Pica auis, Euippis, Euippéis.
Platanus, v, Menelais, Platanitis.
Polónia, Lechias, Lechítis, Sármatis
Polyxena, Priaméis.
Populus alba, Acheróis, Phaëthontias.
Portæ Thebanorum, v. Prœtis.
Progne, Atthis, Cécropis, Daulias, Pandíonis.
Proſérpina, Deóis, Phlegethontis.
Purpura, Conchylis, Phœnicis.
Purpureæ veſtes, Phœnicides.
Putéoli, v. Dicarchis.
Pyrrha, Epiméthis, Iapetíonis, Iápetis, Iapetióne.
Pythiorum ludus, Pythias.

Quadrigæ Glauci, Potniades.
Quercus, Cháonis, Dodónis.

Rebecca, Labánis.
Regio Ægypti, Thébais.
Regio Arabiæ petreæ, Gebalitis.
Regio Bœotiæ, v. Phlegyantis.
Regio Hiſpaniæ, Tarteſſias, Tarteſſis.
Religio Chriſtiana, Chriſtias, Chriſtis, ſeu Chriſtéis.
Rhea, Vranis.
Rhódope, Strymonis.
Romana mul; Quiritis, Tiberias.
Roma, Ænéis, Romulis terra, vel ora.

D. Roſalia, Sinibaldis, Erctêis.

Sacca vrbs, v. Thermítis.
Sacerdos Phœbi, vel Sibylla, Phœbas.
Sagitta, v. Gortynis, Phócais.
Saltatio quædam, Sicinnis.
Samaría, Sâmaris, Samaritis.
Samaritana mul; Samaritis.
Samos, Iolcis, Imbraſis.
Sámia mul; Mæandris.
Sappho, Æolis, Lesbias, Lesbis, Pelaſgis.
Sara, Tharias.
Sardínia, Sandaliôtis, Sárdinis, Sardôis.
Sarmátia, Sarmatis ora.
Saturnales dies, v. Croniades.
Saxa Scirónia, v. Scirónis.
Scótia, Calédonis.
Scylla in monſtrum conuerſa, Phorcis.
Scylla in auem conuerſa, Niséis, Niſis.
Scyros inſ; Scyrias.
Scythica mul; Sacis, Scythis.
Seleucía, Seleucis, in appen.
Sémele, Cadméis.
Semíramis, Syriſcis.
Séphora, Madianias.
Sibylla, Amphryſias, Phœbas.
Síceleg, Siceléchis.
Sicília, Trínacris, Triquetris.
Sícula mul; Sicánis, Sícelis, Trinacris, Triquetris.
Sidonia mul; Sidónis, & Sídonis.
Silua, v. Macedonis.
Sirénes, Acheloïades, Acheloides, Ætolides.
Sirenuſſa inſ; v. Sirenias, Sirenis.
Sithónia, Athonias, Síthonis.
Societas Ieſu, Ignatias, Loiólis, Loioléis, Loiolitis.
Sparta, Meneláis.
Spartana mulier, Spartias.
Sphinx, Oedipodióne, Typhónis.
Sunam, v. Sunamitis.
Suſanna, Hélcias, Helcítis.
Syracuſæ, v. Arethuſias, Arethúſis. Syrácoſis, Syracûſis.
Syracuſana mul; v. ibidem.
Syria, Euphrâtis.
Syra mul; Gebalitis.


Tarentum, v. Tarantis.
Tauromínum vrbs, v. Tauromenitis.
Tethys Dea, Titánis, Vranis.
Thebæ Ægyptiæ, v. Tritónis.
Thebæ Bœotiæ, v. Agénoris, Aônis, Cadméis, Homoloides, Ogygis.
Thebana mul; v. Cadméis, Iſménis, Lábdacis, Thébais, Thebaitis.
Thecua, v. Thecuitis.
Thermæ Himerenſes, v. Thermitis.
Themis Dea ficta, Vranis.
Theſsália, v. Iolcis, Pelaſgis, Pelaſgiotis, Théſſalis.
Theſſala mulier, Aéſonis, Cáſtanis, Dolopéis, Dryopéis, Emathis, Aémonis, Minyas, Minyéis, Pélias, Perrhæbis, Panachéis, Théſſalis.
Thetis nympha, Néreis, & Neréis, Neptunine, Oceanine.
Thrácia, Athonias, Biſtonis, Mæótis Síthonis.
Threiſſa mul; Edônis, Odryſias, Síthonis.

FINIS.

Pag.	lin.		
12	3.		
16	20	.	
24	20	[illegible]	
25	26	Boëthei	Boethoi
26	6	(Calaidis) vel	Calais genit.
28	19	Carmãtidides	Carmãtiades
34	6	po test	possunt.
39	20	Rhæus	Rhœus.
40	13	I.Dusa Bata us	Ianus Dusa Daminus Nordówici.
41	18	Titius	Tityus.
45	6	Euynoris	Euenoris.
45	7	Eueri	Euérei
45	21	umolpo	Eumolpo
47	6	dictus	dicti
50	1	Astuanax	Astyanax
63	16	eitharœdus	citharœdus
64	8	cumque	eumque
65	22	cuius	eius
74	28	cuius	eius
79	3	Omanidæ	Osmanidæ
87	14	Iphilus	Iphiclus
95	10	per syncopē	dele hęc verba
99	12	Iycaste	Lycaste
115	5	Hircanos	Hyrcanos.
122	3	Gnoslo	Gnosso.
126	11	Istmias	Isthmias.
143	28	quosset	posset
151	3	Leucasia	Leucosia

			Herculis
167	31	Elice	Helice
168	3	Bubasio	Bubasto.
173	15	Máriæ	Cáriæ.
175	11	Ahaóniæ	Chaóniæ
176	7	sit	sic
178	5	Pansan.	Pausan.
178	28	Cirnéa	Cyrnéa.
184	6	neptis	trineptis.
184	6	filius	atnepos
184	10	velucres	volucres
184	21	Daóis	Deóis
185	8	Dicharchidos	Dicarchidos.
189	7	arat	erat.
196	17	sacer	sacro
201	26	Peribææ	Peribœæ
207	15	que	quæ
211	1	cius	eius
213	7	illæ	illæ
215	26	Naftía	Naphthía
218	7	mperium	imperium
226	17	vr	vt
247	2	forsitam	forsitan
254	8	Termessis	Permessis.
268	23	Erisichthon Thessalus	filius Erisichthonis Thessali.
276	3	Çercéis	Cernéis.

299 (FINE)




Restauro del Libro
Badia
di
Cava